


35207
kat.komp.
Mag. St. Dr.
P


...ski
...ium



35207

...owski
...kowski.
...rzyń
...ński
...owicz
...nski.
...
...szowicz
...ęwicz
Urdziewicz
Lubomski
Hepe...

Charlawski

X. ~~Kalinski~~
Autor.
Gostawski J. ~~Daar~~



19. V. 50.

THEOLOGIA.
N. 258

ROSARIVM
Beatissimæ Virginis
MARIÆ
Et Sanctissimi Nominis IESV.

Cum aliis multis deuotis additionibus.

Per V. Patrem F.
IOANNEM DAMASCENVM, Præd: Generalem, Ordinis S. DOMINICI: Vtriusq; Confraternitatis SS. ROSARII,
LVBLINI ad ædes FF. Prædicatorum S. STANISLAO dicatas Promotorem: Prælo mandatus.

Superiorum permissu.

Lublini, In Officina Typographica, Annæ Viduæ, Exprimebat Andreas Lob, Anno D. 1642.

Qui elucidant me,



Vitam æternam habebunt.

Sol & Luna steterunt in habitaculo suo,



In luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ.

Habac: Cap. 13.

CARMEN
In Stemma Illustrissimæ Familiæ
DANILOVICIANÆ.

ALitis Inachii volucrem fert cauda Sagittam
Regiaq; è summa cassido crista micat.
Sydera bina ferunt, radios super aurea Lunæ
Cornua per medium lumen arundo ferit
Cum Pomo gladii faciunt certamina Crux cum
Vexillo, reliquum: stricta securis habet.
DANILOVICIÆ sunt hæc insignia Spartæ
Quæ nisi virtutum præmia tanta putas?

ILLV-

Illustrissimo Domino,

D. IOANNI NICOLAO

De Zurow

DANIŁOWICZ,

SVPREMO REGNI POLONIÆ

THESAVRARIO,

PRÆMISLIENSI, SAMBORIENSI DROHOBYCENSI, &c.

CAPITANEO.

Domino & Benefactori ac Patrono amplissimo.

M*Vlta sunt in vita hominibus relictæ*

bene merendi rationes, Illustrissime Domine, quibus & apud Deum Præpotentem, & apud homines insignem sibi comparare valeant fauorem: omnes tamen lucem suam à pietatis probitatisq; radiis mutuantur, & tamen illæ laudabiliores existunt, quæ magis pietate & probitate his duabus vere diuinis & vtilissimis virtutibus vniuntur. Quod cum pernouissem, diu cogitaui, quidnam potissimum seligerem:

quo & Deum Opt: Maximum propitium, & animos hominum pronos, mihiq; & Sacræ Religioni meæ beneuolos redderem. Interea Beatissimæ Virginis MARIÆ Patronæ & Auxiliatricis Christianorum omnium clementissimæ, mentem percussit cultus, & internum reuerentiæ, ac singularis deuotionis excitauit studium; imò & ardentissimum ad nomen B. MARIÆ & Sanctissimum Rosarium eius

promouendum propagandumq́ inseuît desiderium. Quid enim vtilius efficere potui? quam Orationes deuotissimas è cælo depromptas, ex variis probatissimisq Doctoribus coaceruare, & eas SS. ROSARIO *Beatissimæ Genitricis Dei Virgini Virginum* MARIÆ, *Vitam, Mortem, & Gloriam Saluatoris nostri* IESV CHRISTI, *pientissime exprimenti copulare? Quid melius? quam omnes homines ad Dei cultum ac*

Deiparæ Virginis obseruantiam deuotissime, precationum stimulis propellere? Quid deniq; præstantius? Quam omnes in vniuersum cuiuscunq; status vel conditionis ad nunquam satis laudatum Sanctissimum ROSARIVM *Castissimæ Virginis, & Ro*SARIVM *Sanctissimi Nominis* IESV *amplectendum inuitare? His ego motus Libellum hunc in lucem ex animo meo edendum destinaui; nec alium Mæcena-*

tem quam te ILLVSTRISSIMÆ Domine elegi, tuæq; Authoritati Libellum hunc & Studium meum Nomini tuo Amplissimo donaui & dedicaui. Cui enim alteri? qui & pietatis ac probitatis cæterarumq; virtutum acerrimus cultor es? & erga Beatissimam Virginem MARIAM affectu singulari exemplo aliis præluces. Testis est illa Celeberrima & miraculis clara eiusdem Deiparæ Virginis Imago, quam Illustrissimus Parens

*tuus pro innata sibi in Dei-
param deuotione in Arce
vestra hæreditaria* VCHA-
NIÆ *collocauit; hanc ima-
ginem tu ex pietate tua au-
ro vestiuisti, adamantinis
& pretiosis gemmis ornasti,
Capellam tapetibus auro
textis exornasti, redditibus
annuis ditasti: Diui Paren-
tis tui sicut virtutum, ita
& eiusdem imaginis B. V.*
MARIÆ *in promouendo il-
lius cultu hæres existis. Te-
stis est erga Sanctissimum*
ROSARIVM *tuus & tuorum*

spe-

specialis deuotio, & affectus, quo (Confraternitatem hanc in Ecclesia à Diuo Parente tuo in VCHANIÆ *inchoata & per te sumptuosissime consumata) promoues beneficiis auges, & in dies nouis beneuolentiæ tuæ indiciis exornas, & eius cultores benefico affectu, nostramq; Sacram Religionem, cuius hoc SS.* ROSARIVM. *hæreditas est prosequeris: Debetur tibi igitur potiùs præ aliis, hic de SS.* ROSARIO *Libellus, cui præ*

aliis hæc deuotio cordi est: quem nos etiam tibi ex corde dicamus & consecramus. Vale æternum victurus. Datum in Conuentu Lublinensi Ord: Præd: S. DOMINICI die 31. Maij Anno Domini, 1642.

Illustrissimæ Celsitudinis tuæ

Humilis apud Deum exorator

Fr. IOANNES DAMASCENVS GOSLAWSKI,
Præd Generalis & Promotor SS; Rosarii Lubl: Ord: Præd.

NOMEN

NOMEN SANCTISSIMI ROSARII SVAVISSImum & Beatissimæ V. laudi accomodatissimum.

MVlti attendentes ad numerum Centum & Quinquaginta Salutationum Angelicarum, quibus constat ROSARIVM B. V. MARIÆ Psalterium volitare consueuerunt ad imitationem Psalterij Dauidici. Communе tamen & vsitatissimum huic Orationi nomen est ROSARIVM. Et meritò sicut enim Rosarium est locus Rosis consitus, ita Methaphorica consuetudine formulam hanc precandi mysticis ac odoriferis contextam Rosis Salutationis Angelicæ ad certum numerum reductis RO-

SARIVM nuncupamus. Aut etiam dicitur esse Rosarium, quasi sertum quoddam spirituale, mysticis vocibus ex Euangelio depromptis, tanquam rosis contextum, quod Virgini Virginum, Dei Matri offerimus: Serta enim Virginum capitibus ornandis proprie adhibentur. Aut tandem hic modus orandi DEVM ROSARII nomen obtinuit, quia sicut Rosa est Regina Florum (quemadmodum quidam agit: Si Regem floribus Iupiter constituere voluisset, non alium certè quam Rosam tali honore dignatus esset:) ita omnium Orationum Princeps est ROSARIVM, quod non Iupiter falsus, sed verus Deus Christus IESVS, vna cum sua Sanctissima Matre composuit, & B. DOMINICO promulgandum proposuit. Quod vero Nomen Rosarij B. Virginis MARIÆ laudi sit accomodatissimum:

vel

vel ex eo colligere licet, quod Rosis vim medicatiuam inesse quam maximam; vetus Medicorum decretum est. At quis enarare sufficiat: quod Mystica Rosa Deipara morbos per suum ROSARIVM *sanauerit? Ipsa etiam Sanctissima Virgo in sacro eloquio multoties comparatur Rosæ.* Eccles. 24. ℣. 18. 19. 50. Cap. *Ego plantatio Rosæ in Ierycho. Quasi Rosa plantata super riuos aquarum. Quasi Flos Rosarum in diebus vernis sic effulsit in templo Dei (S. Deipara) &c.* & Ecclesia S. dicit in Hymno. *Aue Rosa speciosa: Aue Iesse Virgula.* Et iterum: *Aue Virgo gloriosa: Cæli iubar, mundi Rosa, super Solem speciosa, Virginale gaudium, &c.*

Itaq; sicut Rosa Beatissimæ Virgini: ita & orationi, qua eadem B. Dei Mater salutatur, ROSARII *nomen accomodatissimum est: Et hac*

Salu-

Salutatio Angelica magnam habet similitudinem cum Rosa.

1. Nam quemadmodum Rosa surgit de stipite; ita Angelica Salutatio de corde Dei Patris, quasi plantatio nascitur; & per Sanctum Archangelum Gabrielem, ad Beatissimam Virginem Mariam deportatur.

2. Sicut Rosa tutta se grana continere videtur, & exinde excitare cordialem lætitiam: sic Angelica Salutatio multiplicem lætitiam spiritualem continet: Sanctus Bernardus, Cœlum ridet, Angeli lætantur, terra gaudet, mens hominis exultat, dæmones fugiunt, infernus contremiscit; dum Salutatio Angelica ab hominibus deuotè profertur.

3. Rosa est plurimum odorifera: Ita hæc Salutatio, mirabilem suæ virtutis spargit odorem: Quoties enim nos Beatissimæ MARIÆ hanc Sa-

lutationem offerimus, eius odore suauissimo exhilarata, oculos suos ad nos conuertit gratiam Dei nobis clementer impetrando. Tanta quoq; est huius Rosæ fragrantia, vt omnium deuotorum mentes pascat & saciet, Angelos ad nos inuitet, Deum nobis reconciliet, animas à Purgatorio liberet, morbos exterminet, peccata eliminet, pestes auferat, tartara claudat, dæmones exterreat. De singulis istis reperiuntur innumerabilia exempla.

4. Sicut Rosa est Medicinalis: ita hæc Salutatio mirabiles animarum operatur sanitates, fuit enim nostræ salutis primordialis causa.

Quandoquidem vtraq; & MARIA Virgo & Salutatio ipsius Rosa dicitur: Salutationum quoq; collectionem rectè ROSARIVM quod est Rosarum collectio, appellari.

Ista de Annalogica nominis ratione sufficiunt. & Libello huic de Sanctissimo ROSARIO principium & finem imponunt.



DEI-

DEI PARA MARIA.

B. ALANO DE RVPE ORD. PRÆD.

Ex eius Libro de dignitate ROSARII BEATÆ MARIÆ V. *Capite* II.

SEcretum tibi pandam Diuinæ prouidentiæ, ſcias & ſecuræ intelligas, quod & indilate aliis patefacias. Quod videlicet

ſignum

ſignum probabile eſt, & propinquum æterne damnationis, horrere & attædiari, & negligere Salutationem Angelicam totius mundi reparatiuam. Habentibus verò deuotionem ad hanc: Signum eſt ordinationis & prædeſtinationis per magnum ad gloriam. Propterea qui me tenet in Salutatione hac, ſemper me teneat, donec ad me in Paradyſum veniat.

Eidem

Eidem Capite 13.

PRÆdica Psalterium meum, ne timeas, quia ego tibi iuro, quod ego pugnabo contra omnes, te pro ista materia impugnantes.

S. IO-

S. IOANNES DAMASCENVS,

Orat: de Dormitione Virginis MARIÆ.

SALue ô Deipara: Tu Paradyſi clauſtrum nobis aperuiſti; tu aditum nobis ad Cælum patefeciſti; tu Filio tuo ac DEO familiares nos reddidiſti.

Salutate



Salutate (igitur) MARIAM, quæ multum laborauit in nobis.

Ad Roman. vltimo Cap.

ROSA-

ROSARIVM
B. MARIÆ VIRGINIS,

à Confratribus Lublini ad ædes
FF. PRÆDICATORVM
vſurpatum.

Quindecim præcipua vitæ CHRISTI, eiuſq; Matris Myſteria continens.

PRIMA PARS SS. ROSARII,

Proponit quinque myſteria Læta.

1. *Annuntiationis.*
2. *Viſitationis.*

3. *Natiuitatis.*
4. *Oblationis.*
5. *Inuentionis in templo Saluatoris nostri.*

Primo dicendum signans se signo Crucis:

Deus in adiutorium meum intende.

Domine ad adiuandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum sæcula, Amen.

Pro tempore, Alleluia. *vel*: Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ.

HYMNVS.

QVem terra pontus æthera
Colunt adorant prædicant

Trinam regentem machinam
    Claustrum Mariæ baiulat.
Cui Luna Sol & omnia
    Deseruiunt per tempora
Perfusa cœli gratia
    Gestant puellæ viscera.
Beata Mater munere,
    Cuius supernus artifex:
Mundum pugillo continens,
    Ventris sub arca clausus est.
Beata Cœli nuntio,
    Fæcunda Sancto Spiritu:
Desideratus gentibus,
    Cuius per aluum fusus est.
Maria Mater gratiæ,
    Mater misericordiæ:
Tu nos ab hoste protege,
    Et hora mortis suscipe.
Gloria tibi Domine,
    Qui natus es de Virgine:
Cum Patre & Sancto Spiritu
    In sempiterna sæcula, Amen.

AD PRIMVM
MYSTERIVM.
Quo Sanctiss. Virgini
MARIÆ Archan: Gabriel
nuntiat Dei conceptum.

Dic 1. Pater noster. 10. Aue Maria, & in fine:

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

ANTIPHONA.

Missus est Angelus Gabriel à Deo, in Ciuitatem Galilee, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam Viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid & nomen Virginis Maria.

℣. *Angelus Domini nuntiauit Mariæ.*

℟. *Et concepit de Spiritu Sancto.*
Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

DEVS, qui de Beatæ Mariæ Virginis vtero Verbum tuum Angelo nuntiante carnem suscipere voluisti. Præsta quæsumus vt qui verè eam Genitricem Dei credimus, eius apud te intercessionibus adiuuemur. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

MYSTERIVM II.

Virgo Sanctissima DEO *fœta visitat Elizabetham.*

1. Pater noster. 10. Aue Maria.
In fine: Gloria Patri, &c.

ANTIPHONA.

EXurgens Maria in diebus illis, abiit in montana cum festina-

tione, in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elizabeth.

℣. *Benedicta tu in mulieribus.*
℟. *Et benedictus fructus ventris tui.*
Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

OMnipotens & misericors DEvs, maiestatem tuam suppliciter exoramus, vt sicut vnigenitum tuum, per visitationem & salutationem Genitricis eius, puero clauso in vtero reuelasti, ita meritis eiusdem Genitricis & precibus, ipsum nos facias reuelata facie perpetuo contemplari. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.



MYSTERIVM III.

Nascitur Saluator in Bethleem.

1. Pater noster. 10. Aue Maria.
In fine: Gloria Patri, &c.

ANTIPHONA.

NEsciens Mater Virgo virum, peperit sine dolore, Saluatorem sæculorum, ipsum Regem Angelorum, sola Virgo lactabat vbere de cœlo pleno.

℣. *Verbum Caro factum est.*
℟. *Et habitauit in nobis.*
Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

DEvs qui salutis æternæ B. Mariæ Virginitate fœcunda, humano generi præmia præstitisti: tribue quæsumus, vt ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per

quam meruimus authorem vitæ suscipere. Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit per omnia sæcula sæculorum, Amen,

MYSTERIVM IV.

Paruulus Saluator offertur in templo Salomonis.

1. Pater noster, 10. Aue Maria. *In fine,* Gloria Patri, &c:

ANTIPHONA.

CVm inducerent puerum Iesum parentes eius, accepit eum Simeon in vlnas suas, & benedixit Deum dicens: Nunc dimittis Domine seruum tuum in pace.

℣. *Post partum Virgo inuiolata permansisti.*

℞. *Dei Genitrix, intercede pro nobis.*

Domine exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

PErfice in nobis quæsumus Domine gratiam tuam, qui iusti Simeonis expectationem impleuisti, vt sicut ille mortem non vidit priusquam Christum Dominum videre mereretur: ita & nos vitam obtineamus æternam. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

MYSTERIVM V.

Doctoris officio fungens IESVS duodennis in templo reperitur.

1. Pater noster. 10. Aue Maria, & Credo in Deum: *In fine*, Gloria Patri, &c.

ANTIPHONA.

MAria & Ioseph, post triduum

inuenerunt puerum Iesum in templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos & interrogantem eos: Stupebant autem omnes qui eum audiebant super prudentia & responsis eius, & videntes admirati sunt.

℣. *Fili quid fecisti nobis sic?*
℟. *Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse?*

Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

DA supplicibus tuis quæsumus Domine Sancte Pater æterne Deus salutem mentis & corporis, vt sicut Maria Virgo Filium suum Dominum nostrum inuenit in medio Doctorum, ita & nos eum, refugium nostrum placabile & benignum semper inuenire possimus.

Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

Pro Conclusione Primæ Partis subiungetur :

ANTIPHONA.

ALma Redemptoris Mater, quæ peruia cœli porta manes & Stella Maris : succurre cadenti, surgere qui curat populo. Tu quæ genuisti natura mirante tuum Sanctum Genitorem, Virgo prius ac posterius, Gabrielis ab ore, sumens illud Aue peccatorum miserere.

℣. *Verbum Caro factum est.*

℞. *Et habitauit in nobis.*

ORATIO.

GRatiam tuam quæsumus Domine mentibus nostris infunde, vt qui Angelo nunciante, Christi Filii tui incarnationem cognouimus, per passionem eius & cru-

cem

cere ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

Pro Conclusione.

NOs cum prole pia,
Benedicat Virgo Maria.

℣. *Diuinum auxilium.*
℟. *Maneat & sit semper nobiscum.*

SECVNDA PARS
SS. ROSARII.
Proponit quinque Mysteria Tristia.

1. Orationem in Horto.
2. Flagellationem.
3. Coronationem spineam.
4. Baiulationem Crucis.
5. Affixionem Cruci Saluatoris nostri.

SIN-

Singula expende præmisso.

DEus in adiutorium meum intende.

Domine ad adiuuandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Pro tempore: Alleluia. *vel:* Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ.

HYMNUS.

STabat Mater dolorosa,
Iuxta crucem lachrymosa:
Dum pendebat Filius.

Cuius animam gementem,
Contristantem & dolentem:
Pertransiuit gladius.

O quam tristis & afflicta,
Fuit illa benedicta:

Mater vnigeniti.
Quæ merebat & dolebat,
Et tremebat cum videbat;
Nati pœnas inclyti.
Quis est homo qui non fleret?
Christi Matrem si videret:
In tanto supplicio?
Quis non posset contristari,
Piam Matrem contemplari:
Dolentem cum Filio?
Pro peccatis suæ gentis,
Vidit Iesum in tormentis:
Et flagellis subditum.
Vidit suum dulcem natum,
Morientem desolatum:
Dum emisit spiritum,
Eia Mater fons amoris,
Me sentire vim doloris:
Fac vt tecum lugeam.
Fac vt ardeat cor meum,
In amando Christum Deum:
Vt sibi complaceam.

Sancta Mater istud agas,
Crucifixi fige plagas,
Cordi meo valide.
Tui nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati:
Pœnas mecum diuide.
Fac me vere tecum flere,
Crucifixo condolere:
Donec ego vixero.
Iuxta crucem tecum stare,
Te libenter sociare:
In planctu desidero.
Virgo Virginum præclara,
Mihi iam non sis amara;
Fac me tecum plangere.
Fac vt portem Christi mortem,
Passionis eius sortem:
Et plagas recolere.
Fac me plagis vulnerari,
Cruce hac inebriari:
Ob amorem Filii.

Inflammatus & accensus,
Per te Virgo sim defensus:
In die Iudicii,
Fac me cruce custodiri,
Morte Christi præmuniri:
Confoueri gratia.
Quando corpus morietur,
Fac vt animæ donetur:
Paradysi gloria, Amen.

MYSTERIVM I.

Agonizans Saluator orat, sanguineo sudore madidus in Horto.

1. Pater noster. 10. Aue Maria.
In fine: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S.

ANTIPHONA.

IESVS factus in agonia prolixius orabat, & factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

℣. *Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi.*

℟. *Ego autem orabam.*

Domine exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

COncede nobis clementissime Pater, per orationem & sanguineum sudorem, Vnigeniti tui Domini nostri IESV Christi, in operibus bonis semper abundare, vt sine impedimento ad te, qui es vera via, veritas, & vita, peruenire valeamus. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

MYSTERIVM II.

VinЄtus Saluator ad Columnam Marmoream flagellatur.

1. Pater noster. 10. Aue Maria.

In fine, Gloria Patri, &c.

AN-

ANTIPHONA.

VIri qui tenebant Iesum illudebant ei & exspuerunt in faciem eius, & velauerunt eum cædentes eum colaphis, & Ministri eum alapis cæciderunt.

℣. *Flagellatus fui tota die.*

℟. *Et castigatio mea in matutinis.*

Domine exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne Deus, præsta nobis indignis famulis tuis, vt per flagella, illusiones, alapas, & opprobria Filii tui Saluatoris nostri, ita viuamus vt sine obstaculo ad sempiterna gaudia feliciter peruenire valeamus. Per eundem Christum Dominum nostrum, ... Amen.

MYSTERIVM III.

Iesus Spineam Coronam *in Capite gestans.*

1. Pater noster. 10. Aue Maria.
In fine, Gloria Patri, &c.

ANTIPHONA.

Milites præsidis suscipientes Iesum in Prætorio, congregauerunt ad eum vniuersam cohortem, & exuentes eum, chlamidem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius, & genu flexi ante eum illudebant dicentes: Aue Rex Iudæorum.

℣. *Egredimini filiæ Sion & videte Regem Salomonem.*

℟. *In diademate quo coronauit eum Mater sua.*

Domine exaudi orationem meam:

Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

DIrige Domine Deus actus nostros in beneplacito tuo, vt per memoriam spineæ Coronæ, quam Dominus noster Iesus Christus pro nobis accepit in capite suo, mereamur ipsi capiti nostro semper adiungi, & nunquam ab eius voluntate & amore separari. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

MYSTERIVM IV.

Baiulat Crucem Saluator morte condemnatus,

1. Pater noster. 10. Aue Maria. *In fine*, Gloria Patri, & Filio, &c.

ANTIPHONA,

SVsceperunt Iesum & eduxerunt eum, & baiulans sibi Crucem

exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locus.


℣. *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores.*

℟. *Prolongauerunt iniquitatem sibi.*

Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

EXaudi Domine preces nostras, & præsta, vt per crucem quam Dominus noster Iesus Christus pro amore & exemplo nostro tulit humeris suis, nos semper eandem in corde & corpore nostro portemus, & vt etiam eius virtute liberemur ab insidiis animæ & corporis. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.



MYSTERIUM V.

Cruci affigitur Saluator in monte Caluaria.

1. Pater noster, 10. Aue Maria, & Credo in Deum. *In fine*, Gloria Patri & Filio, &c.

ANTIPHONA.

AVe Rex noster, qui propter nos homines & propter nostram salutem, sub Pontio Pilato crucifixus, passus & sepultus es Miserere nostri.

℣. *Proprio Filio suo non pepercit Deus.*

℟. *Sed pro nobis omnibus tradidit illum.*

Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

MItte quæsumus Domine plebi tuæ auxilium de Sancto,

& concede nobis ad Dominicæ Passionis mortis & sepulturæ exemplum, ita conformari vitæ & actibus eius, vt tibi soli Deo viuere & placere valeamus. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

Pro Conclusione Secundæ Partis.

ANTIPHONA.

SAlue Regina Mater misericordiæ, Vita dulcedo, & Spes nostra Salue. Ad te clamamus exules filii Euæ, Ad te suspiramus gementes & flentes in hac lachrymarum valle. Eia ergo Aduocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte. Et Iesum benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende. O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria.

℣. *Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.*

℟. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*

ORATIO.

INterueniat pro nobis quæsumus Domine IESV CHRISTE, nunc & in hora mortis nostræ apud tuam Clementiam, Beata Virgo Maria Mater tua, Cuius Sacratissimam animam in hora tuæ passionis doloris gladius pertransiuit. Per te Iesu Christe Saluator, qui viuis & regnas per omnia sæcula sæculorum,

Amen.

Conclusio.

NOs cum prole pia,
Benedicat Virgo Maria.

℣. *Diuinum auxilium.*

℟. *Maneat & sit semper nobiscum,*

TERTIA PARS SS. ROSARII.

Proponit quinque Mysteria Gloriosa.

1. Resurrectionem è Sepulchro Saluatoris.

2. Ascensionem in Cœlum eiusdem.

3. Missionem Spiritus S. in Discipulos.

4. Assumptionem Virginis Mariæ.

5. Gloriam eiusdem super choros Angelorum.

Primo dicendum.

DEus in adiutorium meum intende.

Domine ad adiuuandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Pro tempore: Alleluia. *vel:* Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ.

HYMNVS.

O Gloriosa Domina,
Excelsa super sidera:
Qui te creauit prouide:
Lactasti sacro vbere.

Quod Eua tristis abstulit,
Tu reddis almo germine:
Intrent vt astra flebiles,
Cœli fenestra facta es.

Tu Regis alti ianua,
Et porta lucis fulgida:
Vitam datam per Virginem,
Gentes redemptæ plaudite.

MARIA mater gratiæ,
Mater misericordiæ:
Tu nos ab hoste protege,
Et hora mortis suscipe.

Gloria tibi Domine,
Qui surrexisti à mortuis:
Cum Patre, & Sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula, Amen

MYSTERIVM I.

Resurrexit Saluator à funere, Victor rediit, à Barathro.

1. Pater noster. 10. Aue Maria.
In fine: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S.

ANTIPHONA.

Regina cœli lætare, Alleluia, Quia quem meruisti portare, Alleluia. Resurrexit sicut dixit, Alleluia. Ora pro nobis Deum, Alleluia.

℣. *Gaude & lætare Virgo Maria, Alleluia.*

℟. *Quia surrexit Dominus vere, Alleluia.*

Domine exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

DEVS, qui per Resurrectionem Filii tui Domini nostri IESV CHRISTI, familiam tuam lætificare dignatus es, præsta quæsumus, vt per eius Genitricem Virginem MARIAM perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eundem CHRISTVM Dominum nostrum, Amen.

MYSTERIVM II.

Ascendit ad Cælos, & ad dextram Patris consìdet Triumphator.

1. Pater noster. 10. Aue Maria.

In fine, Gloria Patri, &c.

ANTIPHONA.

DOminus quidem IESVS postquam locutus est eis, ascendit

in cælum & ſedet à dexteris Dei, Al lelu ia.

℣. *Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum. Alleluia.*

℞. *Deum meum & Deum veſtrum, Alleluia.*

ORATIO.

COncede quæſumus Omnipotens DEVS, vt qui vnigenitum tuum Redemptorem noſtrum ad cælos aſcendiſſe credimus, ipſi quoque mente in cæleſtibus habitemus. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

MYSTERIVM III.

Spiritus Sancti Miſſio in Diſcipulos.

1. Pater noſter. 10. Aue Maria. *In fine*, Gloria Patri, &c:

ANTIPHONA.

VEni Sancte Spiritus reple tuo-

rum corda fidelium, & tui amóris in eis ignem accende.

℣. *Emitte Spiritum tuum & creabuntur.*

℟. *Et renouabis faciem terræ.*

Domine exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne DEus, da nobis illam Sancti Spiritus gratiam, quam Discipulis in die Sancto Pentecostes transmisisti. Qui viuis & regnas per omnia sæcula sæculorum, Amen.

MYSTERIVM IV.

MARIA Virgo assumpta est ad æthereum thalamum.

1. Pater noster. 10 Aue Maria.

In fine, Gloria Patri, & Filio, &c

ANTIPHONA.

EXaltata est Sancta Dei Genitrix

ſuper Choros Angelorum ad cæleſtia regna.

℣. *Elegit eam Deus & præelegit eam.*

℟. *Et habitare eam fecit in tabernaculo ſuo.*

Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

DEVS qui Virginalem aulam Beatæ Mariæ Virginis, in qua habitares eligere dignatus es: da quæſumus, vt ſua nos defenſione munitos, iucundos facias ſuæ intereſſe feſtiuitati. Qui viuis & regnas per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

MYSTERIVM V.

Maria Virgo duodecim Stellis Coronata regnat in Cælis.

1. Pater noſter, 10. Aue Maria.

& Credo in Deum. *In fine*, Gloria Patri & Filio, &c.

ANTIPHONA.

VEni Sponsa mea, Veni de Libano Coronaberis. Signum magnum apparuit in Cælo, Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius Corona Stellarum duodecim.

℣. *Corona aurea super caput eius.*
℟. *Expressa signo Sanctitatis.*
Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

DEVS, qui Beatissimam Virginem MARIAM Filii tui Genitricem perpetuis & fælicibus gaudiis, in cælo merito coronatam lætificasti: Concede propitius, vt ad illa ineffabilia gaudia, quibus ipsa assumpta gaudet in cælis, eius meritis precibusq; perue-

nire mereamur. Per Dominum nostrum Iesum CHRISTVM Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus Sancti DEVS, per omnia sæcula sæculorum, Amē.

LITANIA
SS. VIRGINIS DEIPARÆ MARIÆ.

Kyrie eleison,
Christe eleison,
Kyrie eleison,
Christe audi nos,
Christe exaudi nos.
Pater de cælis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus S. Deus, Miserere nobis.

Sancta Trinitas vnus Deus, Miserere nobis.

Sancta Maria. Ora pro nobis.

Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
Mater Iesu Christi,
Mater diuinæ gratiæ,
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inuiolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater Creatoris,
Mater Saluatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo prædicanda,
Virgo potens,
Virgo Clemens,
Virgo Fidelis,
Speculum iustitiæ,

Ora pro nobis.

Sedes Sapientiæ,
Causa nostræ lætitiæ,
Vas Spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne deuotionis,
Rosa Mistica,
Turris Dauidica,
Turris Eburnea,
Domus aurea,
Fæderis Arca,
Ianua Cæli,
Stella Matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,

Ora pro nobis.

Regina Prædicatorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum Omnium,
Regina Sacratissimi Rosarii,
Regina SS. Rosarii, — Ora pro nobis.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Miserere nobis.

A Peste, Fame, & Belo, Libera nos Domine.

A subitanea & improuisa morte, Libera nos Domine.

Christe audi nos.
Christe exaudi nos,
Kyrie eleison,
Christe eleison. Kyrie eleison,
Pater noster, & Aue Maria.

℣. Domine exaudi orationem meã,
℞. Et clamor meus ad te veniat.

ORATIONES AD B. VIRG. MARIAM.

O Domina mea, Sancta Maria, me in tuam benedictam fidem ac ſingularem cuſtodiam, & in ſinum miſericordiæ tuæ, hodie & quotidie, & in hora exitus mei, animam meam & corpus meum tibi commendo: omnem ſpem meam & conſolationem meam, omnes anguſtias & miſerias meas, vitam & finem vitæ meæ tibi committo: vt per tuam ſanctiſſimam interceſſionem, & per tua merita, omnia mea dirigantur & diſponantur opera, ſecundum tuam tuiq; Filii voluntatem, & meam neceſſitatem.

Amen.



Alia Oratio ad Beatam Virginem MARIAM.

O Sanctissima Virgo DEI Genitrix MARIA, omnium desolatorum ad te clamantium, Consolatrix vera, per illud magnum gaudium quo consolata es, quando cognouisti Dominum IESVM die tertia à mortuis impassibilem resurrexisse, sis Consolatrix animæ meæ, & apud eundem tuum & Dei natum vnigenitum, in die nouissimo, quando cum anima & corpore ero resurrecturus, & de singulis meis factis rationem redditurus me digneris iuuare:, vt perpetuæ damnationis sententiam, per te pia Mater & Virgo valeam euadere, & cum electis Dei omni-

bus, ad æterna gaudia fæliciter peruenire, Amen.

Alia ad eandem.

AVe Sanctissima MARIA, Mater DEI, Regina Cæli, Porta Paradysi, Domina mundi. Tu es singularis Virgo pura. Tu concepisti IESVM sine peccato. Tu peperisti Creatorem & Saluatorem mundi, in quo nos dubitamus. Ora pro nobis tuum dilectum Filium, vt liberet nos ab omnibus malis, Amen.

Oratio deuotissima ad eandem.

AVe MARIA, ancilla Sanctissimæ Trinitatis humillissima,

Aue MARIA, prælecta DEI Patris Sanctissima.

Aue MARIA Sponsa Spiritus S. amabilissima.

Aue MARIA Mater Domini nostri IESV CHRISTI dignissima.

Aue MARIA salus & Consolatrix viuorum & mortuorum promptissima. Mecum sis in omnibus tentationibus, tribulationibus, necessitatibus, angustiis, & infirmitatibus meis, & maxime in hora mortis meæ non desis mihi, impetra mihi omnium peccatorum meorum veniam, & cælestis patriæ gloriam. Per CHRISTVM Dominum nostrum, Amen.

ALIVS MODVS FACILIOR RECITANDI, *SS. ROSARIVM.*

Prima Pars Læta.

I. ANNVNCIATIO.

Signans se signo Crucis dicat:

IESVS amor meus annunciatur per Archangelum ex te nasciturus Matre Virgine MARIA.

1. Pater noster. & 10. Aue Maria.

In fine.

DEcies millies te benedicant Virgo Mater gloriosa MARIA, Omnes Sancti Angeli, & Archangeli, Vniuersaq; cælestis

curiæ

curiæ Spiritus cum quibus ſperamus te aliquando cernere, & colere in cælo.

II. *VISITATIO.*

IESVS amor meus in tuo vtero clauſus tecum it cognatam Elizabeth inuiſum.

Pater noſter, & 10. Aue *Maria.*

Vicies millies, te benedicant Virgo *Mater* glorioſa MARIA, omnes Sancti *Patriarchæ, Prophetæ* Innocentes, cum S. Ioanne Baptiſta, cum quibus ſperamus te cernere aliquando & colere in cælo.

III. *NATIVITAS CHRISTI*

IESVS amor meus Concinentibus Angelorum choris naſcitur ex te lætante MARIA Virgine.

Pater noſter, & 10. Aue Maria.

Tricies

TRicies millies, te benedicant Virgo Mater gloriosa MARIA, Omnes Sancti Apostoli, Discipuli Domini, & Euangelistæ cum Beatis Martyribus, cum quibus speramus te aliquando cernere, & colere in cælo, Amen.

IV. *OBLATIO CHRISTI.*

IESVS amor meus, offertur Patri in templo, à te lætante MARIA Virgine.

Pater noster, & 10, Aue Maria.

QVadragies millies, te benedicant Virgo, Mater gloriosa MARIA, Omnes Sancti Confessores, Doctores, Episcopi, Monachi, Eremitæ, Religionum fundatores, Virgines, Vidui & Coniugati, cum quibus speramus te aliquando cernere, & colere in cælo, Amen.

V. INVENTIO IN TEMPLO.

IESVS amor meus in medio Doctorum in templo, à te MARIA Virgine lætante repertus.

Pater noster, & 10. Aue Maria, & Credo.

QVinquagies millies, te benedicant Virgo Mater gloriosa MARIA, Sancta Anna Mater tua, Elizabeth, Maria Magdalena, Martha, & Mariæ, cum Sanctis Virginibus, Viduis, & coniugatis cum quibus speramus te, aliquando cernere & colere in cælo, Amen.

ANTIPHONA *in fine.*

MARIA Virgo semper lætare, quæ meruisti CHRISTVM portare Cæli & terræ Conditorem quia de tuo vtero protulisti mundi Saluatorem.

℣. Maria Virgo & Mater Domini IESV dulcissima.

℟. Intercede pro nobis, nunc & in extrema mortis hora.

Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

MAiestatem tuam Domine, suppliciter exoramus, vt sicut de Beatæ Mariæ Virginis vtero verbum tuum Angelo nunciante carnem suscipere voluisti; ita præstare digneris supplicibus tuis, vt qui vere eam Dei Genitricem credimus Eius apud te intercessionibus adiuuemur. *Per eundem* Christum Dominum nostrum Amen.



Secunda Pars Mæsta.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Amen.

I. ORATIO IN HORTO.

IESVS amor meus, in cruce passurus, orat in Horto & capitur à Iudæis, te dolente MARIA Virgine.

Pater noster, & 10. *Aue Maria*.

Decies millies, &c. vt supra, ad libitum.

II FLAGELLATIO.

IESVS amor meus ad columnam ligatus & flagellatus te dolente Matre Maria Virgine.

Pater noster, & 10 *Aue Maria*.

Vicies millies, &c. vt supra ad placitum.

III, CORONATIO SPINEA.

IESVS amor meus coronatur

spinea Corona, te dolente Virgine Maria.

Pater noster. & 10. Aue Maria.
Tricies millies, &c. vt supra.

IV. CRVCIS BAIVLATIO.

IESVS amor meus fert Crucem ad montem Caluariæ, te dolente Matre Maria Virgine,

Pater noster, & 10. Aue Maria.
Quadragies millies, &c. vt supra.

V. CRVCIFIXIO.

IESVS amor meus in Cruce affigitur & moritur, te dolente Matre Maria Virgine.

Pater noster, 10. Aue Maria, & Credo.
Quinquagies millies, &c. vt supra.

ANTIPHONA *in fine*.

INuiolata, intacta, & casta es Maria, quæ es effecta fulgida cæli porta. O Mater alma Christi charissima. Suscipe pia laudum pre-

conia; Nostra vt pura pectora, sint & corpora. Te nunc flagitant deuota corda & ora, Tua per precata dulcisona nobis concedas veniam per sæcula: O benigna, quæ sola inuiolata permansisti.

℣. *In omni tribulatione & angustia.*

℟. *Subueniat nobis piissima Virgo MARIA.*

ORATIO.

INteruéniat quæsumus Domine Iesu Christe, nunc & in hora mortis nostræ, apud tuam clementiam Beata & gloriosa Virgo Maria Mater tua, cuius Sacratissimam animam, in hora Passionis tuæ doloris gladius pertransiit. Qui viuis & regnas Deus per omnia sæcula. Amen.

TERTIA PARS GLORIOSA.

In nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

I. RESVRRECTIO.

IESVS amor meus tertio die à mortuis resurrexit, te lætante Matre Maria Virgine.

1. Pater noster, & 10. Aue Maria.
Decies millies, &c vt in prima parte.

II. ASCENSIO.

IESVS amor meus quadragesimo post suam resurrectionem die, ascendit in cælum, te lætante Matre Maria Virgine.

1. Pater noster, & 10. Aue Maria.
Vicies millies, vt supra, &c.

III. SPIRITVS S. MISSIO.

IESVS amor meus demisit Spiritum S., te lætante Matre Maria Virgine.

1 Pater noster, & 10. Aue Maria.
Tricies millies, &c. vt supra.

IV. ASSVMPTIO.

IESVS amor meus te lætantem Matrem Mariam Virginem assumpsit in cælum.
1 Pater noster, & 10. Aue Maria.
Quadragies millies, te benedicant Virgo, &c. vt supra.

V CORONATIO B. M. V.

IESVS amor meus te lætantem Matrem Mariam Virginem, totius orbis Reginam constituit.
Pater noster, & 10. Aue Maria, & Credo.
Quinquagies millies te benedicant Virgo, &c. vt supra.

ANTIPHONA.


REcordare Virgo Mater, dum steteris in conspectu Dei, vt loquaris pro nobis bona; & vt a-

uertat indignationem tuam à nobis.

℣. *Regina cœli lætare cum iubilo.*
℟. *Quæ Dei filium in tuo Sanctissimo portasti vtero.*

ORATIO.

REX omnium gubernator Deus, famulos tuos protege subsidiis pacis & B Mariæ semper Virginis patrociniis confidentes, à cunctis hostibus redde securos. Per Christum Dominum nostrum, Amen.



ROSARIVM B. VIRGINIS MARIÆ.

In tres quinquagenas distinctum.

Præparatio cordis ad digne recitandum SS. ROSARIVM.

ORATIO.


DOmine IESV CHRISTE dignare me indignum peccatorem, Matri tuæ debitam reuerentiam exhibere. Et tu amantissima Domina, impetra mihi à dilecto Filio tuo, vt sim semper dedi-

tus tuæ seruituti, & tibi omni tempore vitæ meæ, dignas laudes mente pura, & corpore premere valeam. Saluto te gloriosa Dei Genitrix Virgo Maria, Cælorum Regina, Angelorum Domina, ea salutatione, qua te salutauit Archangelus Gabriel.

Aue Maria gratia plena Dominus tecum, &c.

EN nunc prostratus coram Filio tuo, & coram benignissimis oculis tuis, ac Sanctis cælitibus, humiliter ac deuote supplico, tibi ó gloriosa Domina, vt ab eodem dilecto Filio tuo Domino nostro IESV CHRISTO, Impetres mihi famulo tuo, licet indigno & peccatori, vt in hac hora infundat mihi gratiam Spiritus Sancti, qua purgatus ab omnibus peccatis meis, & segregatus ab omnibus

nociuis & prauis cogitationibus, ROSARIVM tibi dedicatum ad laudem & gloriam eiusdem dilectissimi Filii tui, ad honorem tuum, omniumq; supernorum Ciuium exaltationem, nec non ad salutem animæ meæ, & fidelium omnium, tàm viuorum quàm defunctorum promere valeam, tranquilla mente & in statu gratiæ, Amen.



INCIPIT PRIMA PARS ROSARII BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ:

Ea quinque Decadibus contemplanda proponens,

Quæ ad incarnationem, infantiam & vitam pertinens Saluatoris nostri Iesu Christi, gaudiaq; Matris eius intemerata Meditanda.

Decas Prima.

ANNVNCIATIO.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen.

Pater noster, & Aue Maria.

QVi ab æterno & ante sæcula in Matrem sibi dignissimam te elegit & multis oraculis atq; figu

tis tuam futuram excellentiam præmonstrauit.

Aue Maria,

QVi tuum conceptum præ omnibus sola gratia mundissimum fecit, teq; super omnes creaturas vt aptissimum Sanctissimæ Trinitatis triclinium fieres, dignificauit.

Aue Maria

QVi te adhuc in vtero Matris positam Spiritus Sancti gratia copiose repleuit, & tuam Sanctissimam animam, benedictionis suæ dulcedine præ cunctis electis præuenit,

Aue Maria.

QVi Angelico nuntio, tuis sanctissimis Parentibus, etiam antequam conciperetis nomen tuũ iucundissimum notificare voluit: & eos de opprobrio tristo lætificauit.

Aue

Aue Maria.

QVi ortum dignissimum toti mundo, sed & supernæ curiæ celebrem fecit, per quem & Angelis & hominibus lætitiam, dæmonibusq; terrorem incussit.

Aue Maria.

QVi te sterilibus Parentibus mirabiliter & sancte, nasci voluit, teq; ab omni contagione peccati, quamdiu viueres conseruare dignatus est.

Aue Maria.

QVi te triennem, in templo terquinos gradus mirabiliter scandere fecit, & quanta futura fores, tam euidenti signo, cunctis videntibus & stupentibus, præostendit.

Aue Maria.

QVi te ô Virgo in Sponsam & Matrem sibi charissimam elegit:

ipse te in templi latibus habitantem ten per Angelos tuos quotidie pascere & consolari curauit.

Aue Maria.

QVi te castissimam, Sanctum Ioseph, Virginem castam, in Sponsum habere voluit, vt de Virginis membris ipse Ecclesiæ Sponsus nasceretur.

Aue Maria.

QVi Angelum Gabrielem, ad te dulciter & reuerenter salutandam misit, teque de prole concipienda per ipsum instruendo certificauit.

ORATIO.

GAude Sanctissima Maria, aula Regis summi atq; ornatissimum Verbi Dei templum, quia in te quem cæli & terra capere nequeunt, cui luna sol & omnia deseruiunt. quem trementes adorant An-

geli, omnium Conditor Deus immensus & incomprehensibilis nouem mensibus habitare voluit, factus homo. Per te ergo post Deum viuit orbis terrarum. Tu inuentrix gratiæ, tu fons vitæ, tu vena veniæ, tu Mater clementiæ, ora pro me, Amen.

Decas Secunda.

VISITATIO.

Pater noster, & Aue Maria.

QVi de tui nobilissimi Sanguinis surculis operante Spiritu Sancto conceptus fuit: ex quo ineffabili Spiritus gaudio suauiter repleta fuisti.

Aue Maria.

QVem in Sacratissimi ventris tui loculo portasti, quando in montana ab angelis comitata ad

Elizabeth visitandam festina perrexisti.

Aue Maria.

QVo impraegnata, grauata non fuisti, sed mirum in modum tanto pignore consolata extitisti.

Aue Maria.

QVi suum Praecursorem & Baptistam futurum in suae matris vtero positum, sanctificare volens in montana celeriusculè te pergere fecit.

Aue Maria.

QVem Elizabeth in te latere cognoscens, clamauit & dixit: vnde hoc mihi vt Domini mei Mater veniat ad me?

Aue Maria.

QVem corde & ore, atque humilimo corporis gestu, cum mira deuotione magnificasti, dicens: Magnificat anima mea Dominum.

Aue Maria.

QVem in Betlehem constituta, sine dolore, imò cum incredibili Spiritus tui dulcedine, parere meruisti speciosum forma præ natis hominum.

Aue Maria.

PEr cuius parturitionem tua intemerata Virginitas violata non fuit: sed Virgo in æuum permanens, iuxta Prophetiam, porta clausa in æternum dici meruisti.

Aue Maria.

QVem mox vt ex te natus est, Deum & Creatorem tuum vera fide cognoscens devotissime salutans, adorasti.

Aue Maria.

QVem præ frigoribus vagientem pannis inuoluisti, & in præsepio inter duo animalia collocasti.

ORATIO.

GAude ô intemerata & in æternum benedicta Verbi Dei Genitrix, salutis puerpera, quia tu porta clausa, fons signatus, hortus conclusus, puteus aquarum viuentium, tu arbor vberrima, quæ fructum nobilissimum protulisti summi Patris Filium, & Virginitatis integritatem non amisisti, sed post partum Virgo illibata permansisti. Per te itaq; spes reorum, porta cœli ad nos, vt oues errantes requireret, venit lux & vita: Conditor mundi: quem tu pro nobis exora.



Decas Tertia.

NATIVITAS.

Pater noster & Aue Maria.

QVem Angeli iubilantes in altissimis collaudauerunt, & gloriam in excelsis Deo suauiter decantauerunt.

Aue Maria.

QVem pro mundi salute natum pastoribus Angeli nunciauerunt, & exinde omni populo gaudium prouenturum prædicauerunt. *Aue Maria.*

QVem Pastores in Betlehem festinantes quæsierunt & in præsepio collocatum adorauerunt.

Aue Maria.

QVem Virgineo suauissimo lacte, atque mundissimo vbere de cælo pleno affectuosissime Virgo & Mater aluisti.

Aue Maria.

QVi die octauo nos sanguine suo redimire incipiens, circumcisus est, & Iesus quod est Saluator, nominatus.

Aue Maria.

DE cuius Circumcisionis acerbissimo dolore compassionis anxietas, vt gladius tuum cor Virgo benedicta penetrauit.

Aue Maria.

QVem ab oriente venientes tres Reges adorauerunt, & prætiosa munera ei vt Regi, Pontifici, atq; Deo obtulerunt.

Aue Maria.

QVem ad templum maternis brachiis portasti, & tuis Virgineis manibus æterno suo Patri deuote præsentasti.

Aue Maria.

QVem Sanctus Simeon gaudio

plenus in vlnis suscepit, & Deum benedicens, tibi Spiritus gaudium prophetauit.

Aue Maria,

DE quo Anna Sancta Prophethissa multa narrando prophetauit, quæ omnia in cordis scrinio conferens, sæpius tecum contulisti.

ORATIO.

GAude Maria saluberrimorum apotheca charismatum, oliua fructifera, Virgo Virginum, quia tu concepisti Iesum sine peccato, & grauata non fuisti: Tu lactasti filium & Virgo in æuum permansisti: Tu quem genuisti paruum & magnum: Deum & hominem deuotissime adorasti: tu flentem in præsepio collocasti: & ipsum Angeli prædicant, pastores quærunt: Reges adorant: Simeon in vlnas suscipiens lætus moritur. Ora pro me

IESVM Christum Filium tuum quem peperisti.

Decas Quarta.

FVGA IN ÆGYPTVM.

Pater noster, & Aue Maria.

CVm quo in Ægyptum fugiens septem annis latuisti, vbi iuxta prophetiam ad eius introitum idola constat corruisse.

Aue Maria

QVem ad Angeli præceptum post Septennium ex Ægypto retulisti, & in Nazareth de laboribus tuis, vt Mater piissima solicite, nutriuisti,

Aue Maria.

QVem anno duodecimo in Ierusalem amisisti, vnde gladio dolens supra modum sauciata fuisti.

Aue Maria.

QVo post triduum in templo in Doctorum medio reperto, quanto gaudio repleta fuisti, nemo edicere potest.

Aue Maria.

QVi obedientiæ meritum exemplo suo ostendere volens, tecum descendens, obediens fuit & subditus tibi, & Sancto Ioseph.

Aue Maria.

QVi à Sancto Ioanne in Iordanis flumine baptizatur, atq; per ipsum in nostrum lauacrum, aquæ sanctificantur.

Aue Maria.

QVi baptisatus mox desertum intrauit, & quadraginta diebus & quadraginta noctibus abstinendo ieiunauit.

Aue Maria.

QVi tentatus varie non succu-

buit. sed tentatorem suum Sathanam fortiter superauit.

Aue Maria.

QVi vt suo Domino accedentes Angeli, ministrauerunt, & condignum honorem ac gloriam exhibendo ipsum adorauerunt.

Aue Maria.

QVi ad nuptias vocatus matrimonium honorauit, & pro tuo desiderio, aquam in vinum mutauit.

ORATIO.

GAude MARIA, credentium Mater, Sanctorum lætitia, quia quem edidisti filium sublimis puerpera, quem aluisti multa sollicitudine: ipsi dæmonia cesserunt. Angeli ministrauerunt. Ipse ventis & Mari imperauit, aliaq; plura à seculo inaudita signa fecit Ipsum ergo ô vita nostra, ô dulcedo no-

ſtra, ó ſpes noſtra dulciſſima Maria præ cæteris clementior, mihi placabilem facere digneris.

Decas Quinta.

INVENTIO CHRISTI ET MIRACVLA EIVS.

Pater noſter, & Aue Maria

QVi viam ſalutis nos edocere volens frequentiſſime prædicauit, & ſuam doctrinam ſaluberrimam ſtupendis prodigiis confirmauit.

Aue Maria.

QVi potentiam ſuam manifeſtare volens, quinque panibus & duobus piſcibus, quinque millia hominum mirabiliter ſaturauit,

Aue Maria.

QVi cum peccatoribus vt eos conuerteret, manducauit &

bibit, & eis pænitentibus clementer peccata relaxauit.

Aue Maria.

QVi mulieri Chananeæ itinere fessus sedens super fontem prædicauit, & ipsi se dignanter quis esset manifestauit.

Aue Maria.

QVi nostram salutem triginta tribus annis affectuosissime requisiuit, & multos labores atq; defatigationes idcirco tolerauit.

Aue Maria.

QVi nos clementer se exauditurum ostendere volens, ad orationis instantiam & frequentiam hortatus est, dicens: petite & accipietis.

Aue Maria.

QVi in monte Thabor se gloriose transfigurauit: vt gloriam

ostenderet quam suis fidelibus præparauit,

Aue Maria.

CVius Sanctissimos pedes Maria Magdalena osculando lachrymis suis lauit, capillis tersit, & vnguento vnxit,

Aue Maria.


QVi Lazarum quatriduanum aliosq; multos à morte corporis & animæ resuscitauit,

ORATIO.

GAude Sanctissimæ Trinitatis nobile triclinium, per incly-ta mediatrix Dei & hominum, iubar Cœli, Mundi Rosa MARIA. Tu fons salutis, fons omnis gratiæ: Tu afflictorum consolatrix; Tu desolatorum vltimum refugium. Per Filium tuum benedictum: qui Mariæ Magdalenæ eius pedes lachry-

mis riganti, & multis aliis peccata clementer indulsit, & iustos effecit. Te deprecor ego omnium seruulorum tuorum minimus, & peccatorum pondere supra modum grauatus, quod tibi plicaui rosaceum sertum ex salutationum flosculis, & tui dulcissimi Filii vitæ meditationibus confectum acceptare digneris: & meæ fragilitati succurrens, ex peccatore, pœnitentem efficias, ô pietate plenissima Mater & Virgo Maria, AMEN.

In fine, Credo in Deum. &c.



INCIPIT SECVNDA PARS ROSARII

Quæ circa Domini Passionem, & Matris intemeratæ Compassionem memoratur.

Decas Prima.

ORATIO IN HORTO.

Signans se signo Crucis dic:

Pater noster, & Aue Maria.

QVi in Asino sedens, cum populorum laudibus in Ierusalem intrauit, & Ciuitatis venturam calamitatem præuidens super eam fleuit.

Aue Maria.

QVi ingressus in Domini tem-

plum, numularios flagello cecidit, & vt templi Dominus inde vendentes, & ementes eiecit.

Aue Maria.

QVi postquam per totum diem viam salutis docuerat, à nullo inuitatus, famelicus in Bethaniam ad Sanctæ Marthæ domum rediit.

Aue Maria.

QVi in secunda feria summo mane in Ierusalem reuersus est, ac populi salutem esuriens, arbori ficulneæ pro non inuentis fructibus figuraliter maledixit.

Aue Maria.

QVi in templo deprehensam in adulterio mulierem ab accusantium manibus liberauit, omnibus sceleribus misericordiam suam maiorem esse ostendit.

Aue Maria

QVi in tertia feria de Bethania

iterum in Ierusalem venit, & per totum diem prædicans, Pharisæos notabiliter confudit.

Aue Maria.

QVi ita prudenter in suis sermonibus & responsis se habuit: vt tentantes eum Pharisæi & obseruantes: calumniandi causam inuenire nequirent.

Aue Maria.

QVem in sero Pharisæi lapidare volebant, sed virtute diuina se inuisibilem faciens, per medium illorum transiens in Bethaniam ibat.

Aue Maria.

QVi egressus de Ciuitate in monte sedit Oliueti: vbi de fine mundi & signis præcedentibus stupenda disseruit

Aue Maria.

QVem in quarta feria Iudas Isca-

rioth triginta argenteis vendidit, & exinde de proditionis modo diligenter cogitauit.

ORATIO.

SAlue mundi spes, præcelsa cœli porta, Mater clementiæ. O Maria per tuum vnigenitum, quem operante Spiritu Sancto Virgo concepisti, Virgo peperisti, & post partum Virgo in æuum permansisti, quem Sanctus Simeon in vlnis tenens tibi prophetauit dicens: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Vnde tibi primus doloris, ensis est exortus, qui tui cordis penetralia acerbissime penetrauit. Te salus & beatitudo omnium in te sperantium deprecor: vt mei misertа, facias me dilectissimi Filii tui Passionem deuote recolere, & inde veniam & gratiam inuenire, Amen.

Decas Secuuda.

CAPITVR.

Pater noster, & Aue Maria.

QVi in quinta feria, vltimo à te recedens cordialiter cum fletu tibi valedixit, vnde & ancipiti gladio, corde vulnerata fuisti.

Aue Maria.

QVi agno Paschali cum Discipulis in Ierusalem refectus, veteri finem legi imposuit, Sacramentumq; Sanctissimi Cõrporis & Sanguinis instituit.

Aue Maria.

QVi in peluim aqua immissa, Discipulorum pedes, Magister, & Dominus, humiliter lauit, & extersit linteo quo erat præcinctus.

Aue Maria.

QVi inter cœnandum se suam tra-

ditionem præscire insinuauit dicens: Vnus Vestrum me traditurus est.

Aue Maria.

QVi Iuda egresso suis Discipulis, pulcherrimum & longum sermonem contexuit, & eos vt amicos & mundi proceres diligentissime instruxit.

Aue Maria.

QVi Discipulos ea nocte ex se scandalum passuros prædixit, & Petro trinam negationem ante Galli cantum futuram denunciauit.

Aue Maria.

QVi egressus trans torrentem Cedron cum Discipulis suis in Hortum vsq; ad mortem se tristari dixit & factus in agonia prolixius orauit.

Aue

Aue Maria.

QVi omnem suæ Passionis acerbitatem prævidens, & multorum ingratitudinem anxiatus, vehementissime sanguineum sudorem abundè sudauit.

Aue Maria.

QVi cum esset Dominus omnium, minoratus paulo minùs ab Angelis, & in carne contristatus, ab Angelo consolationem recipere non recusauit.

Aue Maria.

QVi tertio ad discipulos suos, quos vigilare iusserat, veniens tertio inuenit eos dormientes.

ORATIO.

SAlue mundi salus, Maris portus, Concha Smaragdina, cuius viror nunquam expalluit. O MARIA per tuum vnigenitum, quem per triduum amiseras; vnde tibi

prodiit secundus gladius, qui doloris acumine cor tuum validissime sauciauit, Te supplex exoro, esto mihi salutis Mater, & Vena indulgentiæ, atq; in meis necessitatibus refugii sinus, Amen.

Decas Tertia.

FLAGELLATIO.

Pater noster, & Aue Maria

AD quem capiendum Ministri Iudæorum, cum gladiis & fustibus in hortum intrauerunt, & ad vnicum eius verbum subsistere non valentes, retrorsum ceciderunt.

Aue Maria.

QVem, ab ipso licentia sibi data vt rabidi canes, osculo Iuda tradente apprehenderunt: & tanquam latronem cædentes: durissimè ligauerunt.

Aue Maria.

QVem trahendo crudeliter per torrentem duxerunt, vbi acriter cadens, iuxta Prophetiam: de torrente in via bibit.

Aue Maria,

QVem omnis Sacerdotii speculum: scelestissimi, ad Annam Principem Sacerdotum deduxerunt, & falsissimè in multis eum accusauerunt.

Aue Maria.

QVem iniqui Pontificis scelestus Minister fortiter alapa in faciem percussit dicens: sic respondes Pontifici.

Aue Maria.

QVi ductus ad Caipham, in multis à falsis testibus accusatur, & tandem, cum esset Deus & Dominus, vt blasphemus, omnium ore reus mortis conclamatur.

Aue Maria.

CVius pulcherrimam faciem conspicientes velauerunt, & vario modo cædentes, & trahentes turpissime tractauerunt;

Aue Maria.

QVem mane facto, vt patriæ hostem ignominiose ad Pilatum duxerunt: & vt populi seductorem mendaciter accusauerunt.

Aue Maria.

QVem Pilatus ad Herodem Regem mittebat; sed Herodes ipsum Agnum mansuetissimum, vt vilem hominem, spretum & illusum, in alba veste Pilato remisit.


Aue Maria.

QVem nequissimi exutum ad columnamq; ligatum acerbissimè flagellauerunt, eiusq; tenerrimum corpus, totum liuidum & vulneribus plenum effecerunt.

ORATIO.

SAlue mundi vita, Sol supernæ diei, speculum claritatis Angelicæ. O Maria per tuum vnigenitum, quem in Horto captum Iudæi scelestissimi, vincientes, cædentes, & exspuentes ad Pontificem duxerunt. Vnde tibi tertius omni ancipiti acrior doloris gladius natus est, qui Virginei tui cordis penetralibus ruptis, de Spiritu & corpore anxiam fecit. Te humiliter exoro à laqueis criminum & hostium visibilium insidiis me conserua,

AMEN.



Decas Quarta.

CORONATIO SPINEA ET CRVCIS BAIVLATIO.

Pater noster, & Aue Maria.

CVius benedictum caput, summis potestatibus tremendum, acutissimis spinis coronabant, arundine percutiebant, & ironicè salutabant dicentes: Aue Rex Iudæo- [redacted]

Aue Maria.

QVem Pilatus sic inhumaniter tractatum, veteriq; purpura indutum educens, populo ostendit dicens: ECCE HOMO.

Aue Maria.

QVi inter tot ludibria, vt Agnus mansuetissimus, os suum non aperuit, & dum malè tractaretur propter nos patientissimè tulit.

Aue Maria.

QVem tolli & crucifigi constanter clamauerunt, & latrone Barraba dimisso, ipsum IESVM innocentissimum, turpissima morte condemnauerunt.

Aue Maria.

AD quem educendum vario modo populi concurrerunt; & aliis affectum subsannationibus, mulieres amarissimè fleuerunt.

Aue Maria.

QVi Sanctissimæ suæ faciei effigiem sudario impressit & Sanctæ Veronicæ in sui memoriam retinendum dedit.

Aue Maria.

QVi grauem suæ mortis trabem in suis benedictis humeris ad locum supplicii portauit, sæpè sub ea cadens, crinibus & funibus crudeliter erectus fuit.

Aue Maria.

QVem vestibus exspoliantes cuncta sua vulnera renouauerunt, & totum eius corpus sanguinolentum reddiderunt.

Aue Maria.

QVem manibus & pedibus grossis clauis perforantes, patibulo crucis affixerunt, & nudum in cruce leuatum, spectaculum omni populo præbuerunt.

Aue Maria.

CVius sacratissimum Corpus in Cruce pendens suæ molis grauedine, omnia membra dissecuit, vulnera ampliauit, atq; neruos disrupit.

ORATIO.

SAlue mundi lumen, Virginum decus, Vas honoris, Vas cælestis gratiæ O MARIA per tuum Vnigenitum, qui pro nostra salute

flagellis cæsus, spinis coronatus, & multis aliis afflictionibus attritus; nudus est crucifixus, vnde prodiit tibi ô aduocata nostra, quartus doloris gladius, qui anxietatis acerbitate sua validisse transfixit præcordia. Te obnixe deprecor, fac vt tui Filii acerbissima passio, & sui rosei Sanguinis effusio tam copiosa in me misero non depereat, sed vt me redemptum suorum Sanctorum cœtibus asscribat, Amen.

Decas Quinta.

CRVCIFIXIO.

Pater noster, & Aue Maria,

QVi dolorum suorum & iniuriarum immemor pro crucifixoribus suis orauit dicens: Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt?

Aue

Aue Maria.

QVi testamentum condere incipiens, dixit ad latronem in dextris pendentem: Hodie mecum eris in Paradyso.

Aue Maria.

QVi te mæstissimam Matrem suam Ioanni commendauit dicens: Mulier ecce Filius tuus, & ad Discipulum: Ecce Mater tua.

Aue Maria.

QVi præ ariditate nimium cruciati pectoris sitiens dixit, Sitio: & potatus fuit aceto & myrrhato vino.

Aue Maria.

QVi postquam omnia impleuit, quæ de se scripta erant dixit: Consummatum est.

Aue Maria.

QVi voce magna se derelictum clamauit dicens: Heli Heli

La-

Lamasabathani, hoc est: Deus. Deus meus vt quid dereliquisti me.

Aue Maria.

QVi Sanctissimam animam suam, Deo Patri commendauit, dicens: Pater in manus tuas commendo Spiritum meum.

Aue Maria.

QVi Spinolento capite inclinato animam tradens, mortuus est pro nobis ingratis peccatoribus,

Aue Maria.

QVo mortuo vnus militum lancea latus eius aperuit, vnde sanguis & aqua effluxerunt: terra quoq; mota est, tenebræ factæ, petræ scissæ, & monumenta aperta sunt.

Aue Maria.

QVem Viri iusti aromatibus condiderunt, atque Syndone

munda inuoluentes, honorifice sepelierunt.

ORATIO.

SAlue mundi iucunditas, pupillorum refugium, Viduarum consolatio, & omnium miserorum fiducia, in qua cunctorum pendet affectus, per te namque iustis gratiam, peccatoribus veniam, tristibus solatium, & cunctis egentibus opem, tuus dilectissimus Vnigenitus conferre consueuit. Per ipsum ergo rogo te, qui pro nostra vita in Crucis patibulo, cum clamore valido mortem amarissimam exsoluit, vnde tuum ô splendor Cœli, honor mundi, piissima Mater, amorosum cor, anxietatis, calamitatis, & doloris quintus ensis [illegible] acutissimus medullitus pertransiit. Te deuotissime atque [illegible]iciter oro, vt propter Vnige-

niti tui Passionem quam vt potui recensui, & propter lachrymas tuas quibus in gremio tuo positum planxisti, & omnem doloris asperitatem, quam in eius Passione sustinuisti, hoc quod tibi Rosarium confeci clementer accipias, & emendationem vitæ conferas, ac tandem fælicem hinc exitum tribuas misericordiæ Mater, Virginum flos & in æternum Princeps, Amen.

In fine, Credo in Deum, &c.

PARS TERTIA SS. ROSARII,

Agens de Resurrectione, Ascensione, &c. atq; ipsius Dei Genitricis Assumptione, gaudiisq; eius.

Decas Prima.

RESVRGIT GLORIOSVS.

Signans se signo Crucis dic: *Pater noster, & Aue Maria.*

CVius exanime corpus, à Deitate minimè separatum, in monumento nouo, vsq; in diem tertium reconditum iacuit.

Aue Maria.

CVius honorabile sepulchrum, Iudæorum Principes magno

lapide clauſerunt, & propriis ſigillis & cuſtodibus ſtudioſiſſimè munierunt.

Aue Maria.

CVius diuiniſſima anima à corpore egreſſa, & Deitati vnita, mox ad inferna, Angelico choro præcedente deſcendit, & dæmonum poteſtatem captiuauit.

Aue Maria.

QVi à Sanctis Patribus ineffabiliter ad eius aduentum lætificatis, iubilanter ſuſceptus eſt voce lachrymabili dicentibus; Aduenisti deſiderabilis.

Aue Maria.

QVi mortis mors factus ſua morte inferno morſum fecit, dum fractis portis æreis & vectibus ferreis, Sanctorum cætum educens in Paradyſo collocauit.

Aue Maria.

QVi tertia die gloriosè propria virtute resurrexit, tunc terra quasi iubilans insolito more contremuit.

Aue Maria.

AD cuius Resurrectionem nunciandam in alba veste Angelus venit,& facie vt fulgur corruscans, custodes exterruit, ac velut mortuos effecit.

Aue Maria.

QVem resurrexisse Angelus super lapidem quem ab ostio reuoluerat sedens, mulieribus nunciauit: & vt Discipulis renuncient imperauit.

Aue Maria.

QVi totus gloriosus, morte deuicta mox tibi apparuit, teque Matrem suam dilectissimam nudius tertius de se multum con-

tristatam plurimum lætificauit.
Aue Maria.

QVi Mariæ Magdalenæ, à monumento aliis abeuntibus, non recedenti, sed ipsum plurimum videre æstuanti; in hortulani specie apparuit.

ORATIO.

LÆtare Regina cæli, Fons lætitiæ, Mater Regis gloriæ, quem meruisti portare, morte deuicta à mortuis totus gloriosus resurrexit nobisq; æternitatis aditum magnifice reserauit, & de eius Passione & morte nimis te anxiam incredibiliter lætificauit. Per illud ergo gaudium, te deprecor in tribulationibus meis, tristium promptissima consolatrix, me clementer oculo tuæ pietatis respiciens, misericorditer lætificare digneris.

MAter digna Dei, Veniæ via luxq́; diei,
Sis tutella rei, duxq́;, comesq́; mei.
Sponsa Dei miserere mei, lux alma diei:
Commendo ecce miser me pia Virgo tibi.
Nixa Deum, defende reum, mihi dando trophæum,
Sis Via, sis nostræ porta salutis, Amen,

Decas Secunda.

ASCENSIO DOMINI.

Pater noster & Aue Maria.

QVi Discipulis duobus in Emaus euntibus & de se loquentibus in peregrini specie apparuit, & increpata eorum incredulitate, in fractione panis, ab illis se cognosci fecit.

Aue Maria.

QVi Beato Ioseph in carcere clauso apparens eum liberauit, & in Arimathia in domo sua liberum collocauit.

Aue Maria

QVi Sancto Iacobo se viuere ostendit & mensam poni faciens, benedictumq; panem ei porrigens ait: comede quia filius hominis à mortuis resurrexit.

Aue Maria.

QVi Sanctis mulieribus à sepulchro reuertentibus occurrens ait: Auete, quæ accedentes tenuerunt pedes eius.

Aue Maria.

QVi Sancto Petro multum pro negatione dolenti & flenti apparuit, & eius culpam à se dimissam notificauit.

Aue Maria.

QVi sero ad decem Discipulos propter metum Iudæorum congregatos ianuis clausis intrauit & cum eis de asso pisce & fauo melis manducauit.

Aue Maria.

QVi in Apostolos insufflans absoluendi potestatem tribuit dicens: Accipite Spiritum S quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.

Aue Maria.

QVi die octauo Thomæ dubitanti loca clauorum, & lanceæ ostendit, & eum per digiti & manus immissionem ab infidelitatis vulnere curauit.

Aue Maria.

QVi ad septem Discipulos in mari Tyberiadis piscantes veniens, in littore stetit, & pisci-

um captionem, socialiq; colatione seipsum esse ostendit

Aue Maria.

AD cuius Resurrectionis famam ob fuscandam Iudæi custodibus peccuniam dederunt, & ad peruertendam veritatem eos corruperunt. ORATIO.

LÆtare splendor cæli, Sanctorum Iubilatio, gaudiorum amænitas, quia tuus dilectissimus Filius, vt Victor strenuus cælos potenter ascendens intrauit, vnde tibi noua, & inexplicabilis exorta est gratulatio, videns eum quem genueras, quem alueras, vt cœlorum auctorem & Dominum, in eos quomodo & quando voluit gloriose intrare. Te deprecor fac me sic per viam mandatorum eius incedere, quatenus illuc te adiuuante peruenire queam, Amen.

Decas Tertia.

SPIRITVS S. MISSIO.

Pater noster. & Aue Maria.

QVi in Galilæa vndecim Apostolis, & aliis multis se videndum præbuit, qui eum cum gaudio adorauerunt.

Aue Maria.

QVi sibi omnem potestatem in cœlo & in terra esse datum dixit, seq; vniuersorum Dominum esse declarauit.

Aue Maria.

QVi sacrum Baptisma instituit dicens, Baptizate omnes gentes: In nomine Patris & Filii & Spiritus S.

Aue Maria.

QVi de mundo ad Patrem ascendere volens, in montem

Syon Discipulis apparuit, & duritiam cordis ac incredulitatem, in qua prius fuerant, eis exprobrauit.

Aue Maria.

QVi in vniuersum mundus Discipulos suos ire & omnibus hominibus Euangelium prædicare iussit denuncians, eos qui crediderint & baptizati fuerint fore saluandos.

Aue Maria.

QVi tecum & cum charis Discipulis suis vltimo in terris conuescens, præcipit eis ab Hierosolymis ne discedant; sed expectent promissum suum, aduentum videlicet Spiritus S.

Aue Maria.

QVi tibi charissime Matri suæ, de eius abscessu dolenti, & gaudenti, suisq; fidelibus valedi-

cens, chara pacis oscula singulis vobis impressit

Aue Maria.

QVi te sua Matre, cæterisq; fidelibus videntibus, & stupentibus in cælum miraculosè ascendit, & eleuatis manibus, suis benedixit.

Aue Maria.

QVi facie ad Orientem versa ascendit, quem nubes interueniens amplius videri non permisit.

Aue Maria.

QVi in die Pentecostes in ignis specie Spiritum Sanctum misit, & in Dei charitate, eorum corda flammantia fecit.

ORATIO.

LÆtare Domina cœli, aurora fulgida, aula Dei, Sacrarium Spiritus Sancti: quia vidisti im-

pleri

pleri promissum Filii tui amantissimi quando in ignis specie Spiritus S. venit super te, & super fideles suos, ex quo tanto cordis iubilo perfusa fuisti, vt nemo possit edicere, nemoq; mente concipere. Subueni ergo & mihi miserrimo, ô Domina clementissima, vt ego valeam per Spiritum Sanctum me cognoscere, de peccatis meis veram pœnitentiam facere, & ea in posterum cauere, sicq; ipsius solamine perfrui, Amen.

Decas Quarta.

ASSVMPTIO B. MARIÆ V.

Pater noster, & Aue Maria.

QVem quia corpore sequi non dabatur ascendentem, inclyta Mater cum aliis fidelibus, su-

ſpenſis vultibus; animiſqꝫ & oculis in cœlum leuatis, vt poteras, conduxiſti.

Aue Maira.

QVem duo Angeli, in virorum ſpecie apparentes in cœlum aſſumptum dixerunt, ſicqꝫ reuerſurum ad orbem iudicandum prænunciauerunt.

Aue Maria.

CVi cum triumpho glorioſè aſcendenti, Paradyſi præpoſitus, Michael cum omnibus agminibus Angelorum feſtinus obuiam venit, & in voce tubæ, vſqꝫ ad ſolium regni deduxit.

Aue Maria.

QVi Deus & homo, cum Angelorum iubilatione aſcendens in cælum, captiuam duxit captiuitatem, donaqꝫ dedit hominibus.

Aue Maria.

QVi Paradysi portas per Adæ culpam humano generi clausas aperuit, & cum Sanctorum cœtu de inferno educto, in eas triumphaliter intrauit.

Aue Mariæ.

QVi cunctos Angelorum Ordines transcendens, vt omnium Dominus ad æternum Patrem peruenit. & sedens ad dexteris eius, pro nobis interpellare non cessat.

Aue Mariæ.

CVm quo libenter simul in cælum ascendisses sed pro consolandis fidelibus aliquanto tempore, te superstitem in terris remanere voluit.

Aue Mariæ.

FVisti omnibus in mærore solatium, in doctrina lumen. in cer-

tamine robur, in illis primordiis singulare præsidium.

Aue Maria.

Tibi piissimæ Matri suæ Deus ipse de hoc mundo migranti occurrit, & te in throno gloriæ collocauit.

Aue Maria.

O Maria illius es Mater cuius Deus est Pater, & Filius paternæ charitatis est corona tuæ Virginitatis.

ORATIO.

LÆtare cælorum Imperatrix, Arca Sanctificationis, quia Filius tuus Rex Regum & Dominus dominantium, te ad cælestia regna vocauit & super Choros Angelorum exaltatam, in Cæli Dominam & Reginam gloriosè coronauit. Te supplex exoro ô Misericordiæ Mater, ad quam omnes

rei currunt cum fiducia. Recordare cum steteris in conspectu altissimi, vt loquaris pro me bona & pro cunctis seruulis tuis, & auertas indignationem suam à nobis, Amen.

Decas Quinta.

MATREM IN CÆLO CORONAT.

Pater noster, & Aue Maria.

QVem sicut sine dolore parere meruisti, sic ipse te ex hoc sæculo sine mortis anxietate migrare facis.

Aue Maria.

QVi stipatus mille millibus Angelorum agminibus tibi piissimæ Matri ex hoc mundo migranti lætus occurrit.

Aue Maria.

QVi te super Choros Angelorum exaltatam vsq; ad celsitudinem throni deduxit, & cunctis perenni iure dominaturam, in potissimis regni sedibus gloriosè coronauit.

Aue Maria.

QVi te cœlorum Reginam constituens, omnia quæ sunt in cælo, & in terra, atq; in inferno tuæ subiecit ditioni.

Aue Maria.

QVi ad tuum dulcissimum nomen dæmones non posse subsistere dedit, ipsumq; vt castrorum aciem mirè ordinatam, eis terribile fecit.

Aue Maria.

QVi te generis humani aduocatam esse constituit, atque cunctorum miserorum singulare

refugium & salutis portum donauit.

Aue Maria.

QVi te stellam maris dici voluit, vt omnes intentationum turbationumq; procellis pericli tantes, in te confidere possint, secureq; per te auxilium postulare.

Aue Maria.

QVi te honorans vt Filius Matrem, nihil eorum quæ postulas denegat, sed ad nutum cuncta quæ petis absq; mora elargitur.

Aue Maria.

QVi venturus est iudicare viuos & mortuos in nouissimo die, & tunc reddet vnicuiq; secundum opera sua.

Aue Maria.

QVi cum Patre & Spiritu S. vnus existens Deus, tecum ô gloriosissima eius Genitrix regnat in

æternum, qui est benedictus in sæcula, Amen.

In fine: Credo in Deum.

Oratio Pulchra.

Dici debet per quamlibet partem SS. Rosarii.

SVscipere digneris Domine Sancte Pater omnipotens hoc ROSARIVM, quod ego indignissimus Famulus tuus offero tibi in memoriam Passionis & effusionis preciosissimi Sanguinis Domini nostri IESV CHRISTI. Suscipere digneris in memoriam septem gaudiorum temporalium, & septem æternorum, Gloriosissimæ Genitricis eiusdem Filii tui vnigeniti


Virginis Mariæ. Suſcipere inquam digneris Domine Sancte Pater omnipotens hoc ROSARIVM ad laudem & gloriam tui Sanctiſſimi nominis ad honorem Beatæ Mariæ Virginis, & in ſpecialem honorem Sancti Dominici, omniumq; Patronorum meorum atq; totius curiæ cæleſtis exaltationem. Suſcipere digneris & pro cuncto populo quem acquiſiuiſti pretioſo ſanguine Filii tui, & pro remiſſione peccatorum noſtrorum, pro expugnatione vitiorum, pro augmento virtutum, pro pace & ſanitate fidelium populorum, pro fructibus terræ, pro ſtabilitate Eccleſiæ, pro ordine Sanctorum, pro conuerſione & reuocatione peccatorum, & pro omnibus meis peccatis, vitiis, & negligentiis, & pro emendatione vitæ meæ. Inſuper

suscipere digneris pro omnibus fidelibus tàm viuis quàm defunctis pro quibus scis & vis me orasse, oro: vt illis & mihi cedat ad salutem & vitam sempiternam, Amen.

Alia perpulchra.

OBsecro te etiam Beatissima Dei Genitrix Virgo Maria, & Te Beatissime Pater Dominice. & Vos Patroni mei. N. Omnes Sancti electi Dei, facite me exaudiri indignum peccatorem, pro omnibus illis pro quibus hanc orationem intentionaliter facio: vt Dominus Iesus Christus dignetur eis per meritum suæ Passionis misereri, mihi vero indigno peccatori, velitis impetrare veniam peccatorum, veram vitæ emendationem, insuper impetrate mihi gratiam, vt possim omnia mundana spernere, & in Cruce Do-

mini nostri IESV CHRISTI delectari, vt benè moriens tandem Vos æternaliter valeam in cælis videre, & Dominum IESVM CHRISTVM vobiscum laudare in sæcula sæculorum, Amen.



SALV-

SALVTATIONES DEVOTISSIMÆ,

In honorem præcipuorum membrorum Beatissimæ Virginis MARIÆ.

Primo Signo S. Crucis se muniens dicas

Pater noster, & Aue Maria 10.

ORATIO I.

MEdiatrix Dei & hominum, & fons misericordiæ, indesinenter effundens riuos copiosæ gratiæ, MARIA: tibi offero has Salutationes in honorem benedictæ animæ tuæ, quam gladius doloris in hora Passionis dulcissimi Filii tui pertransiuit, & in Resurrectione eiusdem ingens gaudium lætificauit. In honorem quoque purissimi cor-

dis tui diuino amore semper flagrantissimi. Et rogo te ó Virgó gloriosa, Virgo admirabilis pulchritudinis, vt illumines tenebras interiores animæ meæ lucis tuæ radio, vt vitiorum meorum obscuritate sublata, magnitudinem pulchritudinis tuæ merear contemplari, Amen.

Pater noster, & 10. Aue Maria.

ORATIO II.

AVxiliatrix hominum, & pacis æternæ condimentum MARIA, tibi offero has Salutationes, in honorem capitis tui coronati duodecim stellis. In honorem etiam tuæ speciosissimæ faciei, quam omnes electi desiderant intueri. In honorem quoq; oculorum tuorum, quibus dilectissimum Filium tuum amicabiliter sæpé adspexisti. In

hono-

honorem insuper aurium tuarum, quibus dulcissima ipsius verba sæpè audiuisti. Ac deniq; in honorem labiorum tuorum, quibus ipsum dulciter sæpè osculata fuisti. Et rogo te ô Virgo electa ex millibus, vt illam desiderabilem tuam faciem mihi ostendas, pias aures, & oculos tuos misericordes ad me conuertas, & in numerum eorum quos tu amas me adscribas, Amen.

Pater noster, & 10. Aue Maria.

ORATIO III.

REparatrix debilium, & vulneratæ animæ efficacissima Medicina, MARIA, tibi offero has Salutationes in honorem Virginei pectoris vberumq; tuorum, quorum purissimo lacte pauisti, dulcissimum Filiolum tuum IESVM.

In honorem quoq; Benedictissimi ventris tui, in quo eundem nouem mensibus sine dolore, & sine Virginitatis tuæ læsione portasti Et rogo te ô Vera Arca Dei, Verum templum veri Salomonis, vt hunc benedictum Ventris tui fructum mihi post hoc exilium ostendas, Et concede quatenus tribulationibus & miseriis huius vitæ oppressus, ad maternæ pietatis tuæ sinum recurram, & Spiritualis consolationis lacte, beneficio tuo refocillatus, omnes alias vani & fallacis mundi huius consolationes despiciam, Amen.

Pater noster, & 10 Aue Maria.

ORATIO. IV.

ILluminatrix Prædicatorum, & lucerna salutiferæ gratiæ, MARIA, tibi offero has Salutationes

in honorem manuum tuarum, quibus amabilissimum IESVM, Ventris tui fructum delicatissimum laceris fasciis & pannicululis inuoluisti, & in præsepio reclinasti. In honorem etiam candidissimorum brachiorum tuorum, quibus eum sæpè dulciter amplexata, pectori tuo applicuisti. In honorem quoq; genuum tuorum, quæ sæpè in oratione tua flexisti. Deniq; in honorem pedum tuorum, quibus cum dulcissimo Filio tuo in Ægiptum fugisti, ipsum perditum triduo quæsiuisti, prædicantem diligenter secuta fuisti, atq; in cruce pendenti fideliter plena dolore adstitisti. Et rogo te ô pia Domina mea, vt in hora mortis meæ ad me venias, & animam meam egredientem, misericordiæ tuæ manibus, & brachiis susceptam, ab omnium hostium in-

ſidiis & terroribus liberes & ad cæleſtem patriam deducas, Amen.


Pater noſter, & 10. Aue Maria.

ORATIO V.

ADuocata omnium peccatorum, quos damnabilis moles vitiorum deprimit, finitq; noſtræ miſeriæ MARIA, tibi offero has Salutationes in honorem omnium Sacratiſſimorum membrorum tuorum, quibus omnibus ſemper Omnipotenti Deo placere ſtuduiſti; Et rogo te ô Domina mea glorioſiſſima Lumen errantium, Maris Stella, Spes deſperantium, Conſolatio mœrentium, Læticia oculorum ad te reſpicientium, vt mihi ſuccurras, præſertim in hora mortis meæ, & poſt fluctus huius

ſæculi ad portum fælicitatis & tranquillitatis me perducas. Per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM qui viuit & regnat cum Deo Patre *&* Spiritu S. in ſæcula ſæculorum,

A M E N.



MEDITATIONES.

IN CANTICVM

SALVE REGINA.

Quas si diligenter masticaueris, pias
Crede mihi lachrymas non continebis.

SALVE REGINA.

SVb tuo regimine, Domina, volo in posterum militare, ideoque me totum tuo dominio committo: vt plenarie me regas & gubernes. Non mihi me relinquas, quia sum mihi ipsi contrarius nimis. Quicquid enim mihi concesseris, noueris miserrimo destruendum. Sed cum plenus sum miseria, & à planta pedis vsque ad verticem putrefactus, quomodo me regere digna-

beris tam nobilis creatura; Certè quia tu es

MATER MISERICORDIÆ.

VEre Mater es Misericordiæ; quia non est in hac vita, quis adeò desperatus, adeò miser, cui non impetres misericordiam salutarem, si ad tuum declinauerit regimen. Certè, Domina, cum te aspicio, nihil nisi misericordiam cerno: nam pro miseris Mater Dei facta es, Misericordiam insuper genuisti: ac demum tibi miserendi est officium commissum. Multum solicita es de miseris: hos in tuos filios adoptasti; hos regere, Domina voluisti; & ideò Mater Misericordiæ tu vocaris. Quid ergò de cætero formidamus? Quid timemus? Et quis à te quod perierit non habebit? Certè nullus, nisi

qui se miserum non cognoscit: quia non subest tuo regimini nisi miser. Nos ergo miseri tecum de cætero consolemur, tecum à modo, Domina, habitemus: demum te totis visceribus amplectamur. Quia tu es.

VITA.

VEre vita, quæ mortem superbiæ vicisti, & nobis vitam gratiæ impetrasti, vitamq; gloriæ genuisti. O Vita Mirabilis quæ mortuos viuificas. O Vita mortem non timens, mortem expellens: mortales immortales constituens. O certè vita amabilis, Vita desiderabilis, Vita delectabilis, O Vita non senescens: sed potiùs senes ad iuuentutem reducens. O Vita, quæ nutris tuos cœlestibus alimentis? O Vita certè contraria vitæ mun-

di ! Qui enim vult te habere, se affligat, delicias respuat, delicataque contemnat, & qui ampliùs mortificatus fuerit, te ampliùs possidebit. Quis mihi tribuat vt semper gaudeam beneficio huius vitæ.

DVLCEDO.

VEre dulcedo, quæ amaritudinem peccati expellis, impetrando veniam: quæ nobis gratiæ dulcedinem acquiris: quæ ad suaues Cœlestis patriæ contemplationes introducis. O Dulcissima Domina, cuius sola memoria affectum dulcorat: Cuius pulchritudo oculum interiorem exhilarat: Cuius amænitatis immensitas, cor meditantis inebriat O Domina quæ rapis corda dulcedine, nonnè cor meum rapuisti? Vbi quæso posui-

ſti illud, vt queam inuenire? O raptrix cordium, quando mihi reſtitues cor meum? Quare ſic corda ſimplicium rapis? Quare violentiam facis amicis tuis? Nunquid ipſum cor meum ſemper vis tenere? Cum illud à te poſtulo, mihi arrides, & ſtatim tua dulcedine conſopitus quieſco: Cum in me reuerſus, cor meum iterum poſtulo, me complecteris dulciſſima, & ſtatim inebrior amore tui, nec poſſum diſcernere cor meum à tuo, neque aliud noui petere niſi Cor tuum. Sed ex quo eſt cor meum tuo dulcore ſic inebriatum, guberna illud, quæſo, cum tuo, & in ſanguine Agni immaculatum illud conſerua, & in latere Filii tanquam in refugio tutiſſimo colloca; tum aſſequar quod intendo &

possidebo quod spero, Quia tu es.

Spes Nostra.

NOn ne tu Domina es Regina? Non ne tu Mater es nostri præmii? Non ne tu es quæ tantum nos exaltare desideras? Non ne nos sine comparatione plus diligis, bonumque nostrum ampliùs procuras, quam Mater carnalis? Igitur sperent in te qui nouerunt nomen tuum: quoniam non dereliquisti quærentes te Domina. Certè qui sperant in te mutabunt fortitudinem, assument pennas vt Aquilæ, volabunt & non deficient, current & non laborabunt. Quis non speraret in te, quæ etiam iuuas desperatos? Non dubito si venerimus ad te habebimus quod volemus. In te ergo speret qui desperat:

ſperat: qui deficit ad te accurrat & dicat

SALVE.

QVis enim nunc nos à tui ſalutatione poterit prohibere; cum & Vita & Dulcedo & Spes noſtra prædiceris? Et quia Regina noſtra es, quis nos à tua reuerentia poterit impedire? Et quid eſt ſalutationem replicare; niſi tibi ſine fine reuerentiam exhibere. Quid eſt ſalutare & iterum ſalutare; niſi ſalutem & ſalutis profectum per te Domina poſtulare? Salutamus ergo te, vt gratiam per te impetremus: Salutamus iterum te, vt per te poſſimus peruenire ad gloriam.

AD TE.

AD te vere, quæ ſola Deum genuiſti, ſola vniuerſam hæreti-

cam prauitatem interemisti, Tu sola es Domina Regni: Tu sola es gubernatio præmii. Ad te Matrem Misericordiæ, Matrem certè quæ nos lauas à fæcibus peccatorum: quæ nos consolaris in cunabulis vagientes, lactas paruulos esurientes: cuius brachiis sustentamur deficientes. Tu verè consolidas vulneratos: ad salutem perducis ægrotos. Et non solùm Mater: sed etiam Medicina facta es miserorum, quæ es Domina Angelorum. Ad te certè quæ non derelinquis derelinquentes, quæ non respuis fugientes: quæ blandimentis nos allicis, deliciis nos foues & nutris. Ad te igitur

Clamamus.

Quare non clamaremus, Domina, qui vulnera sustinemus.

plagas ſentimus, qui inimicis vndique circumdamur: Clamamus anguſtiati, miſeriis innumeris oppreſſi. Clamamus cordis anxietate, Stomachi vacuitate, doloris acerbitate, aut certè erga te amoris immenſitate. Quare enim obdormis Domina? Surge adiuua nos. Clamamus etiam vt miſeriam noſtram tibi manifeſtemus, quia clamare neceſſitas nos compellit. Etiam ad te clamamus, vt ampliùs te ad compaſſionem moueamus: Quid ergò longiùs differs? Si multum tardaueris, voces clamando deficient, nec ampliùs clamare poterimus. Heu mihi, tunc quid faciam cum nec exaudire me poteris, nec audire? Cito, Cito ô Domina ſubuenias clamanti, ne deficiam in manibus inimici. Curre, feſtina, & me tuum, licet iniquiſſimum

ſeruum ad te clamantem, parcendo adiuua, & eripe de manu hoſtis & omnibus periculis Si aliud ô Domina te permouere non deberet, niſi quia animæ noſtræ hoſtis diabolus audet nos tuos ſeruos inuadere fraudulenter, deberes ad nos iuuandos feſtinare. Accurre ergo Domina & libera nos, vt eius ſuperbia reprimatur, Accurre ne inimici dominentur in nobis, aut dicant ; Vbi eſt Domina eorum, de cuius clementia confidebant ? Ne mireris, obſecro, quod anxii clamamus, à te enim nimium ſumus elongati : in regione longinqua diſſipauimus partem noſtram miſeri &c.

EXVLES.

EXules à patria, exules à viſione Diuina, & vtinam non exules

à gra-

à gratia, exules à consolatione materna. O anima, cur non potiùs à corpore separata es, quam à pia tua Domina exul facta? Si enim exul es à Matre, exul es à Christo capite. Et quomodo misera sine capite poteris ambulare? Heu mihi cur in tam longum exilium relegatus sum? Quomodo aut quando videbo Deum Saluatorem meum; aut quando saltem Dominam meam potero intueri? Non dubito, Domina, quin te tuumq; Filium plene possidebimus: si corde tanquam exules ad te clamauerimus. Cur ergo volumus hic quiescere? Cur ad patriam non anhelamus? Cur non affectamus Matrem dulcissimam amplexari? Cur non desideramus cum Matre & Filio commorari? O Domina dum hic viuimus constituas nos exules; ne tanquam

in patria hic confidentes, Te & tuum Filium quærere desistamus: sic tamen constituas exules in corpore, vt semper tecum Ciues simus in mente. Nos

Filii Evæ.

VErè Filii Euæ, quia superbi præsumptuosi, ambitiosi, gulosi & carnales, inobedientes & breuiter in omnibus ipsam Euam sequentes, ad malum proni, difficiles ad bonum: & si contingat quandoque nos Filium bonorum operum generare, eum magno cum dolore ac tristitia cordis parturimus: mala autem quæque perpetramus cum lætitia; neque sufficiant nobis mala nostra, sed sicut misera Eua, ita & nos alios incitamus ad malum: & sicut ipsa, ita & nos in defectibus nostris excussationes

faci-

facimus; aut saltem si possumus, in alios retorquemus. Plùs enim nobis placet cum sudore & labore multo vilia quæq; sectari, quàm Dominum gloriæ degustare, ipsumq; facilimè dulcissimèq; possidere. Ideò nisi tu Mater piissima nos custodiuisses, dudum in inferni profundissima descendissemus. Nec est quod nos valeat excusare, qui non te, sed Euam in omnibus imitamur, Propterea.

AD TE SVSPIRAMVS.

SVspiramus autem ob tam bonæ Matris absentiam, ad te venire desiderantes. Suspiramus ad te, tuum Filium videre optantes. Nimius ergo amor cordis nostri, quo erga te ô piissima, incensi sumus, cogit nos ad te suspirare. Quis enim non diligat reparatricem omnium,

amo-

amoris caminum, pulchriorem sole, dulciorem melle, bonitatis thesaurum, honestatis speculum, omnisque sanctitatis exemplum? Omnibus amabilis, omnibus affabilis, omnibus delectabilis; Sedes Sapientiæ, Fluuius clementiæ, Radius Deitatis, nec est qui se abscondat à calore tuo. Quis ergò non suspiret ad te? Quis sine te ô benigna Domina, in huius vallis lachrymarum ærumnis ac periculis constitutus solatium auxiliumque inueniet? Itaque suspiramus ad te solatium miserorum, refugium expulsorum, liberationem captiuorum, Medicinam infirmorum, Matrem paruulorum, Sponsam adultorum, Reginam bellatorum, Dominam vniuersorum, etiam inimicorum: nec est qui tuæ voluntati

queat obuiare, Suſpiramus ergò ad te.

GEMENTES ET FLENTES. IN HAC LACHRYMARVM VALLE.

ACH, piiſſima Mater ac Domina, non ne vides quomodo & qualiter ſumus amaritudine pleni? Intus ſumus gementes & exterius flentes: in loco lachrymoſo iacentes. Onerati peccatis, gemmimus; aggrauati moleſtiis, flemus: abundantes miſeriis in valle lachrymarum ſumus. Gemimus ſauciati, flemus ſpoliati, in valle lachrymarum ſumus deſtituti. Gemimus ſolem iuſtitiæ non videntes, flemus inimicis noſtris ſeruientes: in valle lachrymarum ſumus tuum auxilium implorantes.

EIA ERGO ADVOCATA NOSTRA.

O Laudabilis clementia Creatoris, qui ſic afflictis, tam nobile & laudabile ſubſidium dignatus eſt elargiri. O certe Dei noſtri mira benignitas, qui ſuis reis te Dominam tribuit Aduocatam. Quamobrem nihil dubitamus, quin miſericordiam præſtes miſeris, noſtramq; cauſam apud thronum gloriæ Dei ſic ſemper agas, vt vindictam quam meremur clementer auertas. Hoc enim eſt quod cupit Deus, hoc eſt quod deſiderat, hoc eſt pro quo te Matrem conſtituit Aduocatam, Eia ergò Aduocata noſtra.

ILLOS TVOS MISERICORDES OCVLOS

AD NOS CONVERTE.

NON dubitamus, piissima Domina, quin, si nostras aspexeris miserias; miseratio tua optatum ac salutarem nobis ostendat effectum Etenim peramabiles, & Diuini oculorum tuorum Sanctorum radii, in nobis & tui Sanctum amorem conciliant, & venenati Basilici virulentum aspectum auertunt. Fac nos oculos nostros exteriores & interiores abstrahere ab omni vanitate, & tuo benignissimo aspectu sanari ac dirigi. Etenim aspectus oculorum tuorum tenebras pellit, cateruas dæmonum fugat, vitia mentium purgat, corda congelata resoluit calore Sancto, vt ea tandem perducat ad cælestia. O quam beati, quos tui (ô dignissima

Domina) aspiciunt oculi: Illos ergò oculos ad nos conuerte.

ET IESVM BENEDICTVM. FRVCTVM VENTRIS TVI NOBIS POST HOC EXILIVM OSTENDE.

O Venter mirabilis qui capere potuit totius mundi Saluatorem. O Venter laudabilis, qui gestauit mundi Redemptorem. O Venter desiderabilis, è quo emanauit desiderium mentium, fluuius gratiarum, gloriæ cælestis (præmium O Venter non venter, ed Cœlum Empireum! in hoc ventre fuit pretium perditorum, fælicitas Beatorum, Deus Angelorum. O Beatus venter, ô Beata viscera, ô Beata vbera, O fælix ven-

ter, qui solem genuisti, mundum reparasti, patriam recuperasti! O quam pretiosus Venter, qui portauit medicinam infirmis, vitam mortuis, & Paradysum iustis. O Venter amabilis, dulcedo animæ. O eleuatio mentium, inebriatio cordium, sanitas peccatorum. Fructus tuus, Domina, Fructus sanè benedictus, & beatus est à principio ortus sui. Ipse est IESVS Dei viui Filius. Ipse per te nobis datus, vt esset Saluator mundi: & tandem Iudex viuorum & mortuorum. Hunc ergo nobis post hoc exilium ostende benignum.

O CLEMENS, O PIA, O DVLCIS VIRGO MARIA.

O Clemens indigentibus, Pia exorantibus, Dulcis diligen-

tibus. O Clemens pœnitentibus, Pia proficientibus, Dulcis contemplantibus. O Clemens liberando, Pia largiendo, Dulcis te donando. O Clemens consolando, Pia blandiendo, Dulcis osculando. Clemens es subiectis, Pia correctis, Dulcis prædilectis, O Clemens, O Pia, O Dulcis Virgo Maria, Amen.

ANTIPHONA.

SVb tuum præsidium confugimus Sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus, sed à periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa & benedicta.

℣. *Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.*

℟. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*

ORA.

ORATIO.

PRotege Domine famulos tuos ſubſidiis pacis, & B. MARIÆ ſemper Virginis patrociniis confidentes, à cunctis hoſtibus redde ſecuros Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

ALIA ORATIO.

PIetate tua quæſumus Domine, noſtrorum ſolue vincula peccatorum, & intercedente B. Maria, cum Omnibus Sanctis tuis, nos famulos tuos, benefactores, atq; loca noſtra, in omni ſanctitate cuſtodi; omneſq; conſanguinitate, affinitate, atq; familiaritate, nobis coniunctos, à vitiis purga, virtutibus illuſtra, hoſtes viſibiles, atque inuiſibiles remoue; carnalia deſideria depelle; aërem ſalubrem, & fertilitatem indulge, amicis & inimi-

cis nostris charitatem largire; atq; Vrbem N. cum omnibus in ea habitantibus, ab omni peste infideliumque feritate, & potentia illæsam conserua, & omnibus fidelibus viuis & defunctis, in terra viuentium, vitam & requiem æternam concede, & Pontificem nostrum N. Antistitem. N. omnes Prælatos nostros, & cunctum populum Christianum, ab omni aduersitate custodi, & benedictio tua, sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrum, Amen.



IN-

INDVLGENTIÆ.

Confraternitati SS. Rosarii B. Virginis Mariæ,

Concessæ illis, qui nomina sua dant Confraternitati Rosarii.

CONcessit Innocentius VIII. Anno D. 1484. die 13. Octob Plenariam Indulgentiam, quam semel in vita, secundo in articulo mortis consequantur. Confirmarunt alii Summi Pontifices, eandem Indulgentiam plenariam concedentes illis, qui eo die quo in album inscribuntur, vere pœnitentes, & confessi fuerint, communicauerint, & saltem vnam partem Rosarii recitauerint,

Gregorius XIII. in duabus Bullis, (cum ſicut accepimus) quarum altera 25. Maii. Altera Iunii Anno Domini, 1579. Concedit plenariam Indulgentiam, die receptionis confitentibus & communicantibus. Eandem Indulgentiam conſequi poſſunt quandocunq; voluerint confiteri, & communicare.

In Articulo mortis, proferentes ore vel corde Sanctiſſimum nomen IESVS Plenariam Indulgentiam conſequuntur.

Qui deferunt Roſaria aut orbiculos precarios conſecratos ex Confr.

Singulis diebus, quibus Confratres & Sorores patenter detulerint, aut geſtauerint ſecum Roſaria aut orbiculos precarios, conſequentur Indulgentiam 200. anno-

norum & totidem quadragenarum. Hanc verò Indulgentiam concessit Innocentius VIII. in *Bulla* splendor paternæ 1488 & Alexander VI. in Bulla illius qui perfecta 1494.

Recitantibus deuotè ROSARIVM.

INNocentius VIII. & Alexander VI. Concesserunt Indulgentiam Trecentorum Sexaginta Millium annorum, Alii adhuc ampliorem recitantibus vel integrum simul, vel per partes *SS*. Rosarium. Adrianus in Bulla Illius qui Dominicum, 1523. die 1. Aprilis Recitanti palam in Ecclesia Confraternitatis Rosarium Indulgentiam 50. annorum concessit.

Clemens VII in Bulla Ineffabilia *1529*. die *23*. Martii, publicam hanc recitationem permittit fieri

in qualibet Ecclesia & Indulgentiam prædictam ad 100. annorum ampliat.

Paulus III, Anno 1537. die 13, Augusti. Illi qui in hanc Confraternitatem inscriptus Rosarium, quandocunq; & quoties siue integrum, siue partem aliquam recitauerit toties Plenariam Indulgentiam concessit & vnius animæ de Purgatorio liberationem.

Prima Dominica Mensis cuiuslibet & in quolibet Festo B, V. Mariæ, qui interfuerint Processioni, & post confessionem, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, consequitur plenariam Indulgentiam. Concedente Gregorio XIII in Bulla, Vniuersis & singulis 1577. die 24. Octobris.

Agonizantibus.

INnocentius VIII. Plenariam Indulgentiam concessit Fratribus & Sororibus huius Confraternitatis, in vltimo vitæ termino constitutis; Idem Summus Pontifex & Pius V. concessit specialem absolutionem Confratribus & Sororibus SS. Rosarii in articulo mortis (Quam vide in fine)

Gregorius XIII. Plenariam Indulgentiam concessit proferentibus & inuocantibus ore, aut corde dulcissimum & Sanctissimum nomen IESVS & nomen MARIA in mortis articulo.

Mortuis.

Quicunq; ex Confratribus curauerit Missam celebrari de Rosario, aut ipse Sacerdos in Confraternitate existens eandem Mis-

ſam de Roſario celebrauerit, ille liberabit animam de Purgatorio. Hanc conceſſit Alexander VI. in Bulla illius qui perfecta Anno 1404. & Paulus III Anno 1537. die 13. Auguſti. Qui aliquo die recitat Roſarium pro mortuis vnam animam liberat de Purgatorio. Paulus III. in eadem Bulla. Concedit vnius animæ liberationem illi qui Feria quarta quacunq; viſitauerit quinque altaria in Eccleſia Roſarii ſiue etiam vnum Altare Roſarii. Et in quolibet die Dominico per annum, ſi altaria quinque viſitauerit & ad quodlibet altare dixerit Quinque Pater noſter, & totidem Aue Maria liberat vnam animam à Purgatorio.

Indulgentiæ Stationum.

QVas Leo X. Clemens VII.

Pius V. & alii Christi Domini in terris Vicarii Confraternitati Sacratissimi Rosarii concesserunt. Consequuntur Confratres & Sorores huius Confraternitatis dum quinque altaria visitant quolibet die, omnes illas Indulgentias quæ sunt Romæ. Et hoc intellige ex verbis Clementis VII. dum ait. Et quia Leo X. ordinando instituit ac benignè concessit quod quilibet ex Fratribus & Sororibus SS. Rosarii vbicunq; existentibus, visitando quinque Altaria, cuiuscunque Ecclesiæ (si desunt Rosarii) vel vnum aut duo quinquies, si quinque defuerint easdem indulgentias, integraliter consequetur, ac si omnes Almæ Vrbis Stationes peregrinando circumiret. Hoc idem Authoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus.

Dominica prima Octobris à Gregorio XIII. institutio Festi Sanctæ Mariæ de Victoria, sub titulo Sacratissimi Rosarii, Quicunque hac die Processionem per maiores plateas Ciuitatum Oppidorum solitam, piè associauerit, idem Summus Pontifex concessit Plenariam Indulgentiam. Similiter qui hac die Sacellum Sacratis. Rosarii vel Ecclesiam visitauerint Indulgentiam Plenariam concessit, in Bulla Ad futuram rei memoriam: Romæ die 3. Ianua. Anno . .1579 Insuper omnibus Confratribus qui opera pia exercuerint 100. dies concessit. Item concessit omnibus & singulis vtriusq; sexus Confratribus dictæ Confrater: Vbicunque existentibus verè pœnitentibus & confessis, & Sacro Sacramento Eucharistiæ refectis, qui

Sacellum Sanctissimi Rosarii, diebus quibus festa mysteriorum eiusdem SS. Rosarii celebrantur, deuotè visitauerint. Quiq; Processioni quæ Prima Dominica cuiuslibet Mensis fieri solet, interfuerint, Plenariam omnium suorum peccatorum remissionem & Indulgentiam Romæ 5. Mai 1581. quod & alii confirmarunt, Patet in Bulla Sixti V. Dum ineffabilia. Romæ 30. die Ian. 1586

Indulgentiæ ad SALVE REGINA.

SAnctissimus D. N. Paulus V. Papa concessit 200. dies Indulg. omnibus tàm Religiosis quàm sæcularibus, qui intersunt Ecclesiis FF Prædicatorum S. Dominici, dum cantatur Antiphona, SALVE REGINA, post Completoriū

Has & alias permultas SS. Rosarii Indulgentias sufficienter descripsit R. P. F. Valerianus S. T. M. in libro quem Hortum Roseum appellauit. Ego verò illas Indulgentias tantùm posui ad maiorem Consolationem illorum qui huic Sanctæ deuotioni immorantur, ex quibus possunt intelligere, quas & quantas vtilitates secum adfert recitatio Sacratissimi Rosarii,

Indulgentia Plenaria concessa à Paulo Tertio, iis qui flectendo genu, mane, in meridie, vesperi, dum pulsatur ad preces, dicunt has salutationes Angelicas

Primò 1. Aue Maria.

℣. *Angelus Domini nunciauit Mariæ.*
℟. *Et concepit de Spiritu S.*

1. Aue Maria.

℣. *Ecce ancilla Domini.*

℟. *Fiat mihi secunbum verbum tuum.*

1 Aue Maria.

℣. *Et Verbum Caro factum est.*

℟. *Et habitauit in nobis.*

℣. *Ora pro nobis S. Dei Genitrix.*

℟. *Vt digni efficiamur promissioni. Christi.*

ORATIO.

GRatiam tuam quæsumus Domine mentibus nostris infunde vt qui Angelo nunciante Christi Filii tui Incarnationem cognouimus, per Passionem eius & Crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum,

Amen.

MODVS RECITANDI ROSARIVM Sanctissimi Nominis IESV, ad instar Rosarium B. MARIÆ V. Nam sicut

illud in se complectitur Centum & quinquaginta salutationes Angelicas, & quindecim Orationes Dominicas. Ita & in hoc Rosario Centies & quinquagesies Sanctissimum Nomen IESVS inuocatur, & decies quinquies Pater noster, & totidem Aue Mariā.

Rosarium Beatissimæ V. Mariæ comprehendit quindecim Mysteria, Sic etiam in hoc tripartito Rosario Sanctissimi Nominis IESV quindecim piæ contemplationes proponuntur, referentes totam Christi vitam, mortem, & glo-

riam Si illud vis dicere totum debet dici sub vno Credo, siue per partes etiam sub vno.

PRIMA PARS LÆTA.

Sic debet inchoari.

Prius dicatur Pater noster, Aue Maria, & Credo, vsq; in finem.

Postea facto signo Crucis, dicat:

DEVS in adiutorium meum intende.

Domine ad adiuuandum me festina,

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen Alleluia *pro tempore.*

Vel:

Vel: Laus tibi Christe Rex æternæ gloriæ.

MYSTERIVM I.

Incarnatio Christi Domini.

Postea iste Versiculus decies est dicendus cum quinque Mysteriis.

1. IESV Fili Dauid, Miserere nobis.
2. IESV Fili Dauid, Miserere nobis,
3. IESV Fili Dauid, Miserere nobis.
4. IESV Fili Dauid, Miserere nobis.
5. IESV Fili Dauid, Miserere nobis
6. IESV Fili Dauid, Miserere nobis.
7. IESV Fili Dauid, Miserere nobis.
8. IESV Fili Dauid, Miserere nobis.
9. IESV Fili Dauid, Miserere nobis
10. IESV Fili Dauid, Miserere nobis

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc,

& semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

MYSTERIVM II

B.V. MARIA *Deo fæta visitat Elizabetham.*

1. Pater noster, & Aue Maria 1.

℣. Iesu Fili Dauid, Miserere nobis, vt supra decies est dicendus.

In fine.

Gloria Patri & Filio, &c.
Sicut erat in principio, &c.

MYSTERIVM III.

Natiuitas Saluatoris.

1. Pater noster & Aue Maria 1.

℣. Iesu Fili Dauid, Miserere nobis, vt supra decies est dicendus.

In fine.

Gloria Patri, & Filio, &c.
Sicut erat in principio, &c.

MYSTERIVM IV.

Paruulus IESVS *offertur in templo.*

1. Pater noster, & Aue Maria 1.

℣. Iesu Fili Dauid, Miserere nobis. vt supra decies est dicendus.

In fine.

Gloria Patri & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

MYSTERIVM V.

IESVS *duodennis inuenitur inter Doctores.*

1. Pater noster, & Aue Maria 1.

℣. Iesu Fili Dauid, Miserere nobis vt supra decies est dicendus.

In fine,

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

℣. *Sis nomen Domini benedictum.*

℟. *Ex hoc nunc & vsque in sæculum.*

ORA-

ORATIO.

OMnipotens sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo, vt in nomine dilecti Filii tui Domini nostri IESV Christi, mereamur bonis operibus abundare. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

SECVNDA PARS.

Proponit quinque Mysteria

DOLOROSA.

Sic inchoatur.

Prius dicatur Pater noster, Aue Maria, si verò per partes debet dici & Credo.

Postea facto signo Crucis, dicat:

DEVS in adiutorium meum intende.

Domine ad adiuuandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper. Et in sæcula sæculorum, Amen.

MYSTERIVM I.

Oratio in Horto.

Iste Versiculus decies est dicendus.

1. IESV Nazarene Rex Iudæorum, Miserere nobis.
2. IESV Nazarene Rex Iudæorum, Miserere nobis.
3. IESV Nazarene Rex Iudæorum, Miserere nobis,
4. IESV Nazarene Rex Iudæorum, Miserere nobis.
5. IESV Nazarene Rex Iudæorum, Miserere nobis.

6. IESV Nazarene Rex Iudæorum,
Miserere nobis.
7. IESV Nazarene Rex Iudæorum,
Miserere nobis.
8. IESV Nazarene Rex Iudæorum,
Miserere nobis.
9. IESV Nazarene Rex Iudæorum,
Miserere nobis.
10. IESV Nazarene Rex Iudæorum,
Miserere nobis.
Gloria Patri, & Filio, &c. *in fine.*
Sicut erat in principio, & nunc, & semper.

MYSTERIVM II.

Flagellatio Christi.

1. Pater noster, & Aue Maria 1.
℣. Iesu Nazarene Rex Iudæorum,
Miserere nobis.
vt supra decies est dicendus.

In fine.

Gloria Patri, & Filio, &c.
Sicut erat in principio, &c.

MYSTERIVM III.

Deus in Rubo coronatus sentibus.

1. Pater noster, & Aue Maria 1.

℣. Iesu Nazarene Rex Iudæorum, Miserere nobis.

Vt supra decies est dicendus.

In fine.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

MYSTERIVM IV.

Baiulatio Crucis ad mortem.

1. Pater noster, & Aue Maria 1.

℣. Iesu Nazarene Rex Iudæorum, Miserere nobis. vt supra decies est dicendus.

In fine.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sicut erat in principio. &c.

MYSTERIVM V.

Cruci affigitur IESVS *in monte Caluariæ.*

1. Pater noster, & Aue Maria 1.

℣. Iesu Nazarene Rex Iudæorum, Miserere nobis, vt supra decies est dicendus.

In fine.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

℣ *Christus factus est pro nobis obediens vsq; ad mortem.*

℞. *Mortem autem Crucis.*

ORATIO.

RESpice quæsumus Domine super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster IESVS Christus, non dubitauit manibus tradi nocentium, & Crucis subire tormentum. Qui tecum viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

TERTIA PARS

Proponit quinque Mysteria GLORIOSA.

Sic inchoatur:

Prius dicat Pater noster, Aue Maria, & Credo, (Si tantum vnam aliquam partem recitas, debes & Credo in principio dicere, sin vero integrum Rosarium, sub vno tantum Credo.)

Postea facto signo Crucis, dicat:

DEVS in adiutorium meum intende.

Domine ad adiuuandum me festina

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S

Sicut erat in principio, & nunc, & semper.

Et in sæcula sæculorum, Amen.

MYSTERIVM I.

Resurrectio Christi Domini.

Iste Versiculus dicatur decies ad quodlibet Mysterium.

1. Iesu Fili Dei viui, Miserere nobis
2. Iesu Fili Dei viui, Miserere nobis
3. Iesu Fili Dei viui, Miserere nobis
4. Iesu Fili Dei viui, Miserere nobis.
5. Iesu Fili Dei viui, Miserere nobis.
6. Iesu Fili Dei viui, Miserere nobis.
7. Iesu Fili Dei viui, Miserere nobis.
8. Iesu Fili Dei viui, Miserere nobis.
9. Iesu Fili Dei viui, Miserere nobis.
10. Iesu Fili Dei viui, Miserere nobis.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper.

Et in sæcula sæculorum, Amen.

MYSTERIVM II.

Ascensio Christi in Cælum.

1. Pater noster, & Aue Maria. 1.

℣. Iesu Fili Dei viui, Miserere nobis.

Vt supra decies est dicendus.

In fine.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

MYSTERIVM III.

Spiritus Sancti Missio.

1. Pater noster, & Aue Maria 1.

℣. Iesu Fili Dei viui, Miserere nob.

Vt supra decies est dicendus.

In fine.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

MYSTERIVM IV.

Assumptio B. Mariæ V.

1. Pater noster, & Aue Maria 1.

℣. Iesu Fili Dei viui, Miserere nob.

Vt supra decies est dicendus.

In fine.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Sicut erat in principio, &c.

MYSTERIVM V.

Coronatio Christi Domini secundum humanam naturam.

1. Pater noster, & Aue Maria 1.
℣. Iesu Fili Dei viui, Miserere nob.
Vt supra decies est dicendus.
Gloria Patri, & Filio, &c. *in fine.*
Sicut erat in principio, &c.
℣. *Confitebuntur Cæli mirabilia tua Domine.*
℟. *Et enim veritatem tuam in Ecclesia Sanctorum.*

ORATIO.

DEVS qui ineffabilibus mundum renouas Sacramentis, Præsta quæsumus, vt Ecclesia tua & æternis proficiat institutis &

temporalibus non destituatur auxiliis. Per Iesum Christum Dominum nostrum, Amen.

Pro Conclusione.

LITANIA DE NOMINE Dulcissimo IESV.

Kyrie eleison,
Christe eleison,
Kyrie eleison,
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.

Sancta Trinitas vnus Deus, Miserere nobis,

IESV Fili Dei viui,
Iesu perfectissime
Iesu potentissime,
Iesu iucundissime,
Iesu amantissime,
Iesu mitissime,
Iesu dulcissime,
Iesu patientissime,
Iesu obedientissime,
Iesu gloriosissime,
Iesu admirabilis,
Iesu amator noster,
Iesu amator pacis,
Iesu delectabilis,
Iesu mirifice,
Iesu amator castitatis,
Iesu zelator animarum,
Iesu humillime,
Iesu honorabilis,
Iesu thesaurus fidelium,

Miserere nobis.

Iesu lux vera,
Iesu bone Pastor ouium,
Iesu clarior sole,
Iesu gaudium Angelorum,
Iesu Rex Patriarcharum,
Iesu Magister Apostolorum,
Iesu Doctor Euangelistarum,
Iesu fortitudo Martyrum,
Iesu lumen Confessorum,
Iesu Corona Sanctorum Omnium.

Miserere nobis.

Iesu Christe Fili Dei viui, Parce nobis Domine.
Iesu Christe Fili Dei viui, Exaudi nos Domine.
Iesu Christe Fili Dei viui, Miserere nobis.
Propitius estó, Parce nobis Iesu.
Propitius esto, Exaudi nos Iesu,
Propitius esto, Libera nos Iesu.
Ab omni malo, Libera nos Iesu.
Ab omni peccato, Libera nos Iesu.

Ab ira tua,
Ab insidiis Diaboli,
Ab incursu omnium malorum,
A subitanea & improuisa morte,
A Peste, Fame, & Bello,
Per incarnationem tuam,
Per aduentum tuum,
Per natiuitatem tuam,
Per circumcisionem tuam,
Per labores tuos,
Per flagella tua,
Per mortem tuam,
Per Sanctam Resurrectionem tuam,
Per Ascensionem tuam,
Per Coronationem tuam,
In die Iudicii,

Libera nos Domine.

Peccatores, Te rogamus audi nos.
Vt ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, Te rogamus audi nos.

Vt tribulatis consolationem, agonizantibus in morte auxilium largiri digneris, Te rogamus audi nos.

Vt famulos & famulas Dulcissimi nominis tui IESV memoriam facientes consolari digneris, Te rogamus audi nos.

Vt nomen hoc Sanctissimum, & viuentes in opere, & morientes in ore habere mereamur, Te rogamus audi nos.

Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, Te rogamus audi nos.

Vt benignissime IESV, sis nobis IESVS, Te rogamus audi nos.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, *Parce* nobis Iesu,

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Iesu.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

℣. *Sit nomen Domini benedictum.*
℟. *Ex hoc nunc & vsq; in sæculum,*

ORATIO.

DEVS qui gloriosissimum Nomen IESV Christi Filii tui Domini nostri fidelibus tuis fecisti summæ suauitatis affectu amabile & malignis spiritibus tremendum: concede propitius, vt omnes qui illud venerantur in terris, Sanctæ consolationis dulcedinem in præsenti, & in futuro gaudium interminabilis beatitudinis obtineant, *Per* eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

In fine.

BEnedictum sit dulce nomen Domini nostri IESV Christi, & Beatissimæ ac gloriosissimæ Virgi-


nis MARIÆ Matris eius in æternum & vltra, Amen.

ORATIO S. BERNARDI.

O Bone IESV, ô dulcis IESV, ô IESV fili Mariæ Virginis plenus misericordia & veritate. O dulcis IESV miserere mei, secundum magnam misericordiam tuam, O benignissime IESV te deprecor, per illum sanguinem tuum pretiosum, quem pro nobis miseris peccatoribus effundere dignatus es in ara crucis, vt abiicias omnes iniquitates meas; & ne despicias me humiliter te petentem, & hoc Nomen IESVS Sanctissimum inuocantem. Hoc nomen IESVS, Nomen dulce est; hoc nomen IESVS, Nomen solare est. Quid enim est IESVS nisi Saluator? O bone IESV qui me creasti, & redemisti tuo proprio Sanguine, ne permittas me da-

mnari, quem tu ex nihilo creasti. O bone IESV ne perdat me iniquitas mea, quem fecit Omnipotens bonitas tua. O bone IESV recognosce quod tuum est in me & absterge quod alienum est à te. O bone IESV miserere mei, dum tempus est miserendi, ne perdas me in tempore tremendi iudicii tui. O bone IESV si merui miser peccator, de vera tua iustitia pœnam æternam pro peccatis meis grauissimis, adhuc appello confisus de tua iustitia ad misericordiam tuam ineffabilem. Vtiq; misereberis mei, vt pius Pater & misericors Dominus. O bone IESV quæ enim vtilitas in sanguine meo dum descendo in æternam corruptionem? Non enim mortui laudabunt te Domine, neq; omnes qui descendunt in infernum. O misericordissime IESV

miſerere mei. O dulciſſime IESV libera me. O piiſſime Ieſu propitius eſto mihi peccatori; O Ieſu admitte me intrare in numerum electorum tuorum. O Ieſu ſalus in te ſperantium O Ieſu ſpes in te credentium miſerere meî. O Ieſu dulcis remiſſio omnium peccatorum meorum. O Ieſu Fili Virginis Mariæ, infunde in me gratiam tuam, ſapientiam, charitatem, caſtitatem, humilitatem, ac etiam in omnibus aduerſitatibus meis patientiam ſanctam, vt poſſim te perfectè diligere, & in te gloriari ac delectari in ſæcula ſæculorum, Amen.



INDVL-

INDVLGENTIÆ Confraternitatis ROSARII SANCTISSIMI NOMINIS IESV CONCESSÆ.

Qui nomina ſua dant huic Confraternitati.

QVicunq; verè pœnitens, confeſſus, Sanctiſſimoque Euchariſtiæ Sacramento ſuſcepto, nomen ſuum huic Confraternitati dederit, Plenariam eo die omnium peccatorum Indulgentiam, & remiſſionem conſequitur, Similiter & in Articulo Mortis.

Festum Nominis IESV.

QVicunq; in hac Confraternitate existens, ipso die Circumcisionis Domini confessus, communicauerit, & officio Ecclesiastico siue Matutino, siue Vespertino & Completorio interfuerit. Consequitur *Plenariam* Indulgentiam per modum Iubilæi, concessum à *Pio* IV. in Bulla Saluatoris & Domini 1564. qualem solent consequi illi, qui tempore Magni Iubilæi Ecclesias in vrbe Romæ designatas, vel extra muros visitant.

Dominica Secunda cuiuslibet Mensis.

QVicunq; ex hac Confraternitate Dominica Secunda Mensis confitebitur, & communicabit, simulq; orabit pro concordia

inter Principes Christianos, pro extirpatione Hæresum, pro exaltatione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Plenariam Indulgentiam consequetur.

Reuerentia exhibita huic Nomini IESVS.

QVi se reuerenter inclinauerit, dum Sanctissimum hoc Nomen IESVS, aut MARIA nominatur, consequetur Indulgentiam viginti dierum.

Deuota Commemoratio huius Nominis IESVS.

QVi Sanctissimum hoc Nomen IESVS deuotè commemorauerint, consequentur Indulgentiam triginta dierum.

QVicunq; autem hoc ROSARIVM deuotè orauerit,

conſequetur Indulgentiam ſeptem annorum. Clemens VIII.

Myſteria Roſarij Nominis IESV.

QVicunq; in Feſtis quindecim Myſteriorum Roſarii Nominis IESV Confeſſione peracta, communicauerit, in quolibet Feſto vnius Myſterii Plenariam conſequetur Indulgentiam, quam conceſſit Clemens VIII. 1598. die 2. Februar.

Inuocatio Nominis IESV *in articulo Mortis.*

SI quis decedens ex hac vita, verè pœnitens confiteretur & communicaret: aut ſi id præſtare non valeret, ore vel ad minùs corde contrito Sanctiſſimum nomen IESVS

inuocaret, tali concedit plenariam Indulgentiam Clemens VIII.

Processio Secundæ Dominicæ Mensis.

QVicunque ritè peracta Confessione, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum deuotè sumpserit, & Processioni Secunda Dominica cuiuslibet Mensis à Confratribus cum Venerabilissimo Sacramento peragi solitæ, interfuerint, Plenariam consequetur Indulgentiam, Concessam à Gregorio XIII. in Bulla Alias fælicis, &c. Anno Domini 1580. die 5. Septembris.


SImiliter Plenariam Indulgentiam concessit Paulus V. in Bulla Pias Christi fidelium &c. Anno 1612 die 28. Septembris, Vult tamen vt præter prædicta oretur, pro Exal-

tatione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, pro Concordia inter Principes Christianos & pro extirpatione Hæresum.

Non solum autem *Summi Pontifices*, tantis gratiarum Indulgentiarum, & Priuilegiorum thesauris Confraternitatem hanc cumularunt : Verum etiam *Sacrosancta* Religio nostra Dominicana omnes in ea existentes, recepit ad participationem, omnium bonorum, omnium Missarum. Orationum, Vigiliarum, ieiuniorum, studiorum, laborum , mortificationum, & omnium meritorum, quæ per Fratres & *Sorores* Ordinis in toto mundo fieri solent. Hanc gratiam participationis obtinuit Confraternitas, à Reuerendissimo Magistro Generali Ordinis *Seraphino* Caballi 1580. Quam antea alius M. Gene-

ralis Paulus Constabilis confirmauerat.

Habes igitur (amice Lector) Indulgentias Sacratissimi ROSARII *Nominis* IESV, *non quidem omnes enumeratas, sed illas tantum modo positas, quibus frequentius illi qui hoc SS. Rosarium in vsu habent, maiori animarum suarum proximorumq́; cum emolumento frui possunt. Fruere & tu fœliciter & vel ex his quanti momenti sit recitatio Sacratissimi Rosarij Nominis IESV, collige.*



CORONA SALVATORIS NOSTRI IESV CHRISTI.

ADMONITIO.

COnsistit hæc Corona ex triginta tribus Orationibus Dominicis (iuxta annorum numerum quibus Dominus noster in carne mortali versatus sibi nobisq; immortalem in Cœlis meruit coronam) & quatuor Salutationibus Angelicis ac vno Symbolo in fine. His quoq; singulis recitandis, singuli Meditationis articuli applicantur. per Decades.

In

In Prima Parte.

RÉcolitur Aduentus Domini nostri in hunc mundum.

In Secunda.

COnuersatio eius inter homines pro nostra salutari instructione.

In Tertia.

EXitus eius de hoc mundo per acerbissimam mortem, pro Redemptione nostra tolerata.

Et in Quarta.

GLoriosissimus ipsius post mortem triumphus.

Sic inchoatur.

In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Amen.

PARS PRIMA.

1. Pater noster.

IMmortales ô dulcissime Iesu ago tibi gratias, quod amore mei de regali tuo Palatio, atq; ex altissimo Patris sinu, in hanc vallem miseriarum descendisti, & in Sanctissimo castissimæ Virginis Matris tuæ vtero carnem humanam assumpsisti. Oro te Domine da mihi plenam peccatorum meorum veniam.

Pater noster.

IMmortales ô dulcissime Iesu ago tibi gratias, quod postquam conceptus es in vtero gloriosæ Virginis Mariæ, voluisti eam per montana visitare cognatam suam Elizabeth, vt salutaret eam, eique tempore partus ministraret. Oro te Domine, da mihi plenam peccatorum meorum veniam, Amen.

Pater noster.

IMmortales ô dulcissime Iesu ago tibi gratias, quod dignatus es propter me tener infantulus in Stabulo nasci, frigoris asperitatem tolerare, panniculis inuolui, in præsepio reclinari, super fænum & stipulas iacere, Virgineisq; vberibus lactari. Oro te Domine, da mihi plenam peccatorum meorum veniam, Amen.

Pater noster,

IMmortales ô dulcissime Iesu, ago tibi gratias, quod statim cum natus esses, iucundissimis Angelorum canticis concelebrari voluisti, & à pastoribus maximo cum gaudio & admiratione adorari Oro te Domine, da mihi plenam peccatorum meorum veniam, Amen.

Pater noster.

IMmortales ô dulcissime Iesu, ago

tibi gratias, quod octauo die circumcidi voluisti, & in ætate illa tenerrima, Sanguinem amore mei fundere cœpisti. Oro te Domine da mihi plenam peccatorum meorum veniam, Amen.

Pater noster.

IMmortales ó dulcissime Iesu ago tibi gratias, qui à tribus Magis quæsitus, adoratus, & muneribus honoratus fuisti. Oro te Domine, da mihi plenam peccatorum meorum veniam, Amen.

Pater noster.

IMmortales ó dulcissime Iesu, ago tibi gratias, quod amore mei legi subiici, & ad templum in brachiis Sanctissimæ Matris tuæ deferri voluisti. Oro te Domine, da mihi plenam peccatorum meorum veniam, Amen.

Pater noster.

IMmortales ô dulcissime Iesu, ago tibi gratias, quia cum esses adhuc paruulus, persecutionem Herodis fugam, exiliumque, vna cum charissima Matre tua sustinuisti. Oro te Domine, da mihi plenam peccatorum meorum veniam, Amen.

Pater noster.

IMmortales ô dulcissime Iesu, ago tibi gratias pro laboriosa via illa, & longa peregrinatione, quam in terra aliena, inter Barbaros & infideles toto septennio pertulisti O ro te Domine, da mihi plenam peccatorum meorum veniam, Amen.

Pater noster.

IMmortales ô dulcissime Iesu, ago tibi gratias pro beato illo reditu ex Ægypto pro iterata illa iteratione in patriam tuam, & pro sociali inhabitatione cum parentibus tuis in Ciuitate Nazareth Oro te Do: &c.

Aue

Aue Maria.

O Benignissima & suauissima Virgo MARIA, placa obsecro, dilectissimum tuum Filium, quem de Spiritu Sancto conceptum sine dolore peperisti & summa cum diligentia in infantia educasti.

PARS SECVNDA.

Pater noster.

IMmortales ô dulcissime Iesu, ago tibi gratias, qui in templo remanens, à charissima tua Matre quæsitus & post triduum es inuentus. Oro te Domine, da mihi plenam peccatorum meorum veniam, Amen.

Pater noster.

IMmortales ô dulcissime Iesu, ago tibi gratias pro reuerentiali obedientia tua, quam parentibus exhi-

buisti, dum illorum imperio, tu Imperator Cœlorum humiliter subditus extitisti: Oro te Domine, da mihi plenam peccatorum meorum veniam, Amen.

Pater noster.

IMmortales ô dulcissime Iesu, ago tibi gratias, qui Iordanis fluenta ingressus, voluisti manu Præcursoris tui Ioannis baptizari. Oro te Domine, da mihi plenam peccatorum meorum veniam, Amen.

Pater noster.

IMmortales ô dulcissime Iesu ago tibi gratias, quod in deserto quadraginta diebus & noctibus ieiunans à diabolo tentatori non recusasti. Oro te Domine, da mihi plenam peccatorum meorum veniam, Amen.

Pater noster.

IMmortales ô dulcissime Iesu, ago

tibi gratias, quod per Vrbes vicos & Castella iter faciens Euangelii Regni Cœlorum studiosè prædicasti: & labores fatigationemq; corporis propter nos libenter sustinuisti. Oro te Domine, da mihi plenam peccatorum meorum veniam, Amen.

Pater noster.

IMmortales ô dulcissime Iesu, ago tibi gratias, qui nuptias tua præsentia atq; miraculo primo honorasti, cunctisq; egentibus, ac infirmis curationum beneficia erogasti. Oro te Domine, da mihi plenam peccatorum meorum veniam, Amen.

Pater noster.

IMmortales ô dulcissime Iesu, ago tibi gratias, qui crebro in oratione pernoctasti: & famem, sitim, frigus, æstum, variasq; persecutio-

nes nostri causa pertulisti. Oro te Domine, da mihi plenam peccatorum meorum veniam, Amen.

Pater noster.

IMmortales ô dulcissime Iesu, ago tibi gratias, quod conuersans inter homines, omnibus afflictis misericorditer subuenisti ac signa plurima fecisti. Oro te Domine, da mihi plenam peccatorum meorum veniam, Amen.

Pater noster.

IMmortales ô dulcissime Iesu, ago tibi gratias, quod nostri amore innumeras iniurias, blasphemias, calumnias & persecutiones perpessus es. Oro te Domine, da mihi plenam peccatorum meorum veniam, Amen.

Pater noster.

IMmortales ô dulcissime Iesu, ago tibi gratias, qui veniens Hiero-

solymam, vt pro nobis patereris, Rex humilis & mansuetus asinæ insedisti, atq; inter laudes & honores lachrymas effudisti. Oro te Domine, da mihi plenam peccatorum meorum veniam, Amen.

2. Aue Maria.

O Benignissima & suauissima Virgo MARIA, placa obsecro, dilectissimum tuum Filium, quem in ætate virili deuotè secuta es, cum Regnum Dei populo vbiq; annunciaret.

PARS TERTIA.

Pater noster.

IMmortales ô dulcissime Iesu, ago tibi gratias, qui in Cæna nouissima, pedes Discipulorum tuorum positis genibus humiliter lauisti, & præcellentissimum Eucharistiæ Sacramentum, inenarrabili charitate

institui∫ti. Oro te,Domine. da mihi plenam peccatorum meorum veniam, Amen.

Pater noster.

IMmortales ô dulci∫∫ime Ie∫u, ago tibi gratias, qui in Hortum cum Di∫cipulis ingre∫∫us, maxima tri∫titia propter nos correptus fui∫ti: & prolixè orans ∫udorem ∫anguineum, toto corpore ∫uda∫ti. Oro te Domine, da mihi plenam peccatorum meorum veniam, Amē.

Pater noster.

IMmortales ô dulci∫∫ime Ie∫u, ago tibi gratias, quod ab armatis militibus capi, & funibus tanquam homo maleficus vinciri volui∫ti, inde ad Annam & Caipham duci & eorum iudicio ∫i∫ti non horrui∫ti, Oro te Domine,&c. vt ∫upra.

Pater noster.

IMmortales ô dulci∫∫ime Ie∫u, ago

tibi gratias, qui nocte Passionis tuæ irrisus & delusus, à tuis inimicis pugnis percussus, & calcibus protritus, diuersisq; iniuriarum modis diuexatus es Oro te Domine, da mihi plenam peccatorum meorum veniam, Amen.

Pater noster.

IMmortales ô dulcissime Iesu, ago tibi gratias, qui contemptibiliter ad Pilatum, & inde ad Herodem ductus, demisso placidoque vultu coram eis stetisti & ad falsas Iudæorum accusationes humiliter tacuisti. Oro te Domine, da mihi plenam peccatorum meorum veniam, Amen.

Pater noster.

IMmortales ô dulcissime Iesu, ago tibi gratias, quod spoliatus vestibus inclementer ad columnam ligatus, & horrendis flagel-

lis dilaniatus fuisti. Oro te Domine, da mihi plenam peccatorum meorum veniam, Amen,

Pater noster.

IMmortales ô dulcissime Iesu, ago tibi gratias, quod coronam spineam vertici tuo impressam subsannationes & illusiones, alapas quoque ac sputa propter me pertulisti. Oro te Domine, da mihi plenam peccatorum meorum veniam, Amen.

Pater noster.

IMmortales ô dulcissime Iesu, ago tibi gratias, quod à Pilato morti iniustè adiudicatus, voluntatiq; Iudæorum traditus, Crucem in fractis tuis humeris vsq; in montem Caluariæ cum summo labore portasti. Oro te Domine, da mihi plenam peccatorum meorum veniam, Amen.

Pater noster.

IMmortales ô dulcissime Iesu, ago tibi gratias, qui in loco Caluariæ mirrhato vino potatus ac vestibus probrosè nudatus, & manus ac pedes clauis atrociter perterebratus, crucique affixus fuisti, Oro te Domine, da mihi plenam peccatorum meorum veniam, Amen.

Pater noster.

IMmortales ô dulcissime Iesu, ago tibi gratias, quod immensos cruciatus tribus horis in Cruce pro me tolerasti, felle & aceto, in siti potatus fuisti, & inclinato capite Spiritum emisisti. Oro te Domine, da mihi plenam peccatorum meorum veniam, Amen.

Aue Maria.

O Benignissima & suauissima Virgo MARIA, placa obsecro, dilectissimum tuum Filium,

quem

quem summo cum dolore patientem & morientem vidisti.

PARS QVARTA.

IMmortales ô dulcissime Iesu, ago tibi gratias, qui victoriosus exiens è sepulchro, cum nobilissimo triumpho tertia die resurrexisti & dilectissimam Matrem tuam, cæterosq; amicos tuos, optatissimo gaudio lætificasti, Oro te Domine, da mihi plenam peccatorum meorum veniam, Amen.

Pater noster.

IMmortales ô dulcissime Iesu, ago tibi gratias, qui quadragesimo post Resurrectionem tuam die, iubilantibus Angelis, & Patribus comitantibus ad Cœlos ascendisti, & ad Patris dexteram consedisti, Oro te Domine, &c.

Pater noster.

IMmortales ô dulcissime Iesu, ago tibi gratias, quod Spiritum Sanctum in Apostolos aliosq; fideles misisti, & illos mirificè confortasti & instruxisti. Oro te Domine, da mihi plenam peccatorum meorum veniam, Amen.

Aue Maria.

O Benignissima & suauissima Virgo MARIA, placa obsecro, dilectissimum tuum Filium, in cuius gloriosissima Resurrectione, & ad Cælos Ascensione, incredibili gaudio & consolatione perfusa, nouoq; mentis dulcedine refocillata fuisti.

Credo in Deum, &c.



IVBILVS S. BERNARDI.

SS. NOMINIS IESV.

IESV dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia:
Sed ſuper mel & omnia,
Eius dulcis præſentia.
Nil canitur ſuauius,
Nil auditur iucundius:
Nil cogitatur dulcius,
Quam IESVS Dei Filius.
IESV ſpes pænitentibus,
Quam pius es petentibus:
Quam bonus te quærentibus,
Sed quid inuenientibus?
IESV dulcedo cordium,
Fons viuus, lumen mentium:
Excedens omne gaudium,
Et omne deſiderium.

Nec lingua valet dicere,
    Nec litera exprimere:
    Expertus potest credere,
    Quid sit IESVM diligere.
IESVM quæro in lectulo,
    Clauso cordis cubiculo:
    Priuatim & in publico,
    Quæram amore sedulo.
Cum MARIA diluculo,
    IESVM quæram in tumulo:
    Clamore cordis querulo,
    Mente quæram non oculo.
Tumbam profundam fletibus,
    Locum replens gemitibus:
    IESV prouoluar pedibus,
    Strictis hærens amplexibus.
IESV Rex admirabilis,
    Et triumphator nobilis,
    Dulcedo ineffabilis,
    Totus desiderabilis.
Mane nobiscum Domine,
    Et nos illustra lumine:

Pulsa mentis caligine,
Mundum replens dulcedine.
Quando cor nostrum visitas,
Tunc lucet ei veritas:
Mundi vilescit vanitas,
Et intus feruet charitas.
Amor IESV dulcissimus,
Et verè suauissimus:
Plùs millies gratissimus,
Quam dicere sufficimus.
Hoc probat eius Passio,
Hoc Sanguinis effusio:
Per quam nobis redemptio,
Datur & Dei visio.
IESVM omnes cognoscite,
Amorem eius poscite:
IESVM ardenter quærite,
Quærendo inardescite.
Sic amantem diligite,
Amoris vicem reddite:
In hunc orbem currite,
Et vota votis reddite.

IESVS author clementiæ,
Totius spes lætitiæ:
Dulcoris fons & gratiæ,
Veræ cordis delitiæ.
IESV mi bone sentiam,
Amoris tui copiam:
Da mihi per præsentiam,
Tuam videre gloriam.
Cum dignè loqui nequeam,
De te tamen non sileam:
Amor facit vt audeam,
Cum solùm de te gaudeam.
Tua IESV dilectio,
Grata mentis refectio:
Replens sine fastidio,
Dans famem desiderio.
Qui te gustant esuriunt,
Qui bibunt adhuc sitiunt:
Desiderare nesciunt,
Nisi IESVM quem diligunt.
Quem tuus amor ebriat,
Nouit quid IESVS sapiat:

Quam felix eſt quem ſatiat,
Non eſt vltra quod cupiat,
Ieſu decus Augelicum,
In aure dulce canticum:
In ore mel mirificum,
Iu corde nectar cælicum.
Deſidero te millies,
Mi IESV quando venies?
Me lætum quando facies?
Me de te quando ſaties?
Amor tuus continuus,
Mihi languor aſsiduus:
Mihi IESV mellifluus,
Fructus vitæ perpetuus.
IESV ſumma benignitas,
Mira cordis iucunditas:
Incomprehenſa bonitas,
Tua me ſtringat charitas.
Bonum mihi diligere,
IESVM nil vltra quærere:
Mihi prorſus deficere,
Vt illi queam viuere.

O IESV mi dulcissime,
Spes suspirantis animæ:
Te quærunt piæ lachrymæ,
Te clamor mentis intimæ.
Quocunque loco fuero,
Mecum IESVM desidero:
Quam lætus, cum inuenero,
Quam fælix, cum tenuero.
Tunc amplexus tunc oscula,
Quæ vincunt mellis pocula:
Tunc fælix Christi copula,
Sed in his parua morula.
Iam quod quæsiui video,
Quod concupiui teneo:
Amore IESV langueo,
Et corde totus ardeo.
IESVS cum sic diligitur,
Hic amor non extinguitur:
Non tepescit, nec moritur,
Plùs crescit & accenditur.
Hic amor ardet iugiter,
Dulcescit mirabiliter:

Sapit delectabiliter,
Et delectat fœliciter.
Hic amor missus cælicus,
Hæret mihi medullitus:
Mentem incendis penitus,
Hoc delectatur Spiritus,
O beatum incendium,
Et ardens desiderium!
O dulce refrigerium,
Amare Dei Filium.
IESV flos Matris Virginis,
Amor nostræ dulcedinis:
Tibi laus honor numinis,
Regnum beatitudinis.
Veni, veni Rex optime,
Pater immensæ gloriæ:
Effulge clare clarius,
Iam expectatus sæpius.
IESV sole serenior,
Et balsamo suauior:
Omni dulcore dulcior,
Præ cunctis amabilior.

Cuius gustus sic afficit,
Cuius odor sic reficit:
In quo mens mea deficit,
Solus amanti sufficit.
Tu mentis delectatio,
Amoris consumatio:
Tu mea gloriatio,
IESV mundi saluatio.
Mi dilecte reuertere,
Consors paternæ dexteræ:
Hostem vicisti prospere,
Iam cæli regno fruere.
Sequar te quocunque ieris,
Mi tolli non poteris:
Cum meum cor abstuleris,
IESV laus nostri generis.
Cæli ciues occurrite,
Portas vestras attolite:
Triumphatori dicite,
Aue IESV Rex inclyte.
Rex virtutum, Rex gloriæ,
Rex insignis victoriæ:


IESV largitor veniæ,
Honor cæleſtis patriæ.
Tu fons miſericordiæ,
Tu veræ lumen patriæ:
Pelle nubem triſtitiæ,
Dans nobis lucem gloriæ,
Te cæli chorùs prædicat,
Et tuas laudes replicat:
IESVS orbem lætificat,
Et nos Deo pacificat.
IESVS in pacem imperat,
Quæ omnem ſenſum ſuperat:
Hanc mea mens deſiderat,
Et illa frui properat.
IESVS ad Patrem rediit,
Cæleſte regnum ſubiit:
Cor meum à me tranſiit,
Simul poſt Ieſum abiit.
Quem proſequamur laudibus:
Votis, Hymnis & precibus:
Vt nos donet cæleſtibus,
Secum perfrui ſedibus,

Æterna

Æterna Sapientia,
Tibi Patriq; gloria:
Cum Spiritu Paraclyto,
In sempiterna sæcula, Amen.

ORATIO S. GREGORII PAPÆ,

BOne Iesu verbum Patris, splendor paternæ gloriæ, in quem desiderant Angeli prospicere, doce me facere voluntatem tuam, vt à Spiritu tuo bono deductus, ad beatam illam perueniam ciuitatem, vbi est dies æternus, & vnus omnium spiritus: vbi est certa securitas, & secura æternitas, & æterna tranquillitas, & tranquilla fælicitas, & fælix suauitas, & suauis iucunditas, vbi tu Deus cum Patre & Spiritu Sancto viuis, & regnas, per infinita sæculorum, Amen,



MI-

Miraculoſa & efficax Oratio, ad propulſandam Peſtem.

Cartagena Tho: 3. de mirandis Deiparæ.

STella cœli extirpauit,
Quæ lactauit Chriſtum Dominũ,
Mortem peſtis quam plantauit
Primus parens hominum.
Ipſa ſtella nunc dignetur,
Sydera compeſcere
Quorum bella plebem cedunt
Diræ mortis vlcere.
O piiſſima Stella maris,
A peſte ſuccurre nobis,
Audi nos Domina.
Nam filius tuus nihil negans
Te honorat
Salua nos Ieſu
Pro quibus Virgo mater te orat.

℣. *Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.*

℟. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*

OREMVS.

DEVS misericordiæ, Deus pietatis, Deus indulgentiæ, qui misertus es super afflictionem populi tui & dixisti Angelo percutienti populum tuum, contine manum tuam, ob amorem illius Stellæ gloriosæ, cuius vbera pretiosa contra venena delictorum quam dulciter suxisti. præsta auxilium gratiæ tuæ, vt ab omni peste, & improuisa morte, securè liberemur, & à totius perditionis incursu misericorditer saluemur, per te Iesu Christe, Rex gloriæ, qui viuis & regnas in sæcula sæculorum,

AMEN.

ALIA ORATIO.

DEfende quæsumus Omnipotens Deus, Beata Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni aduersitate & peste familiam, & toto corde prostratam ab omnibus tuere clementer periculis. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

ALIA ORATIO.


DA nobis quæsumus Domine, piè supplicationis effectum, & pestilentiam famemq; propitiatus auerte, vt mortalium corda, cognoscant; & te indignante talia flagella prodiri & te miserante cessare. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

ORATIO
DE S. SEBASTIANO.

OMnipotens sempiterne Deus, qui meritis & precibus B. Sebastiani Martyris tui, quandam Ge-

neralem pestem Epidimiæ, ab hominibus reuocasti; præsta supplicibus tuis, vt qui eius memoriam recolimus: ipsius suffragiis, à peste, & ab omni morbo graui liberemur. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Poteris dicere Lithaniam de B. V. M.



PROTESTATIONES.

Pro hora mortis quotidie dicendæ & præcipuè agonizantibus vtilissimæ.

1. In Nomine SS. Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus S.

EGo N. protestor coram Sanctissima Maiestate Dei, ac gloriosissima Dei Genitrice Maria, & te S. Angelo custode meo, & Patronis meis N, totaque Curia Cælesti me cupere & velle in ea fide Catholica vitam hanc finire quam Sancta Romana Ecclesia profitetur.

2. Protestor nunc (in hora) vel pro hora mortis meæ, me credere vniuersa, quæ ipsa Catholica Ro-

mana fides, videlicet tàm omnes articulos fidei, quàm totam Sacram Scripturam, secundùm expositionem Doctorum Catholicorum.

3. Detestor etiam nunc pro tunc omnes hæreses,& superstitiones approbatas; & gratias ago tibi misericordissimo Creatori & Saluatori meo, cuius ineffabili pietate, me in hac fide moriturum gaudens confido.

4. Spero per meritum Passionis, & mortis Domini nostri Iesu Christi, fore me æternæ vitæ, & hæreditatis participem, eiusq; Passionem Sacratissimam pro refugio, & munimento firmissimo salutis omnium hominum, habeo.

5. Agnosco me hactenus non vixisse purè, nec sanctè coram Domino; sicut viuere debueram; agnosco scelera mea multa nimis. Agno-

sco

ſco culpas & negligentias meas. quibus Creatorem meum grauiter offendi, à quo tot beneficia recepi, Cui nunc immenſas gratias ago, & cupio ab omni creatura ſibi famulatum præſtari,

6. Doleo ex corde nunc, pro tunc, de omnibus his offenſis meis, contra Deum & proximum commiſſis, & de omni negligentia benè operandi, & etiam contemptu gratiarum ab ipſo mihi conceſſarum,

7. Deſidero ardenter, recordari omnium peccatorum meorum; quatenus habeam ſpecialem contritionem de illis & deteſtationem.

8. Doleo nunc pro illa hora, quod non recordor mea peccata qualitercunq; commiſſa, vel omiſſa, quorum ſi memoriam haberem, libenter ea per Sacram Confeſſionem expiarem,

9. Doleo, quod cum toties à Deo Optimo Maximo, obtinuerim veniam delictorum, toties etiam in eadem, vel ſimilia, in grauiora recidiuans corrui.

10. Palam profiteor, me ſincero corde ignoſcere omnibus ob amorem Dei, qui quouis modo iniuriam, vel moleſtiam aliquam, verbo vel facto mihi, vel meis intulerunt.

11. Propono etiam me omnibus ſatisfacturum, quos in fama, honore, vel aliqua alia re offendi, humiliterq; rogo tàm præſentes, quàm abſentes, vt mihi viciſſim ignoſcant & dimittant.

12. Proteſtor me nec ad momentum temporis velle viuere, niſi prout Diuinæ Maieſtati placuerit.

13. Proteſtor me velle & intendere mori, abſq; omni deſperatione, va-

naq; gloria de bonis operibus & fidei dubitationē.

14. Protestor quod si (vt varia se offerunt pericula) eorum occasione (quod absit) ab hac fide deuiarem? vel impugnatione Dæmonis, vel violentia morbi pressus aliquid huic meo, firmo proposito contrarium cogitarem, loquerer, aut facerem; iam illud reuoco, & contestor nunc pro tunc me nullo modo consentire, talibus cogitationibus aut verbis, vel operibus, vt potè non libero discursu patratis.

His præmissis protestationibus meis, tibi Sanctissima Dei Genitrix MARIA, Sancte Angele custos meus, Sancte Pater Dominice, Sancte Hyacinthe, &c. Sancti Patroni mei N. & vobis omnibus electis, meam extremam sententiam, voluntatemq; pro testamento animæ meæ,

humiliter commendo, vt in extrema hora vitæ meæ, fidele teſtimonium mihi perhibeatis, & auxilium præſentaneum præbeatis.

Supplex etiam vos precor vt vnum lachrymoſum intuitum, & doloroſum ſuſpirium ex innumeris doloribus Saluatoris mei, quos in Cruce pendens, tribus horis viuus perpeſſus eſt, mihi obtineatis, ad mitigandum meos doloroſos ſingultus quibus tunc concutiar.

Tu ô benigniſſime IESV, ſuccurre mihi tunc miſerrimo peccatori, & per infinitæ miſericordiæ tuæ leges, me inermem defendas.

Te etiam obſecro ô Beatiſſima Virgo MARIA, patiaris tunc mihi tremendo, & deſtituto patrocinari: Veliſq; mecum condiuidere in illa grauiſſima anguſtia mea, vnum cordis tui Virginei ſuſpiri-


um;

um, & mœstum intuitum, ex innumeris, quos sub Cruce stando habuisti, dum videres Filium tuum, meum Redemptorem morientem, meq; digneris ad amæna *Paradysi* loca perducere, vbi lætaris in perpetuum, Amen.

Proteſtatio S. Vincentij Ordinis Prædicatorum.

O Domine IESV Christe, ego quamuis indignus, & miser peccator, firmiter & puro corde & ore, ad plenum confiteor *Sanctam* Fidem Catholicam, & omnes singulos eius articulos, sicut Alma Mater Ecclesia Romana prædicat, docet, & tenet Sed cum multa Domine occurrant pericula, & varia tentamenta si forsan (quod absit) occasione

ipsorum aut in articulo mortis, aut alias per alienationem intellectus ab ipsa Sancta Fide deuiarem, aut alicui peccato consentirem, protestor nunc pro tunc, coram tua Sanctissima Maiestate & tua gloriosissima Matre Maria, Sancto Angelo meo custode, & Patre meo Diuo Dominico, & Omnibus Sanctis, quod in hac Sancta fide Catholica, & in plenitudine feruoris eiusdem fidei, & in Sinum Sacrosanctæ Matris Ecclesiæ Matris meæ, quæ nescit claudere gremium redeundi ad se sine consensu alicuius peccati, volo semper viuere & mori, Amen.



MODVS ADIVVANDI FRATRES ROSARII in infirmitate & in Agonia positos, *Per Orationes deuotissimas & vtilissimas.*

Sacerdos ingressus cubilum infirmi dicat:

℣. *Pax huic domui.*

℟. *Et omnibus habitantibus in ea.*

℣. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit cœlum & terram.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMVS.

Adesto Domine supplicationibus nostris, & me indignum, qui primum misericordia tua indi-

geo, clementer exaudi: & quem non electione meriti, sed dono gratiæ tuæ constituisti huius operis ministrum, da fiduciam tui muneris exequendi, & ipse in nostro ministerio, quod tuæ virtutis est operarare Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Postea dicat hanc Orationem.

INtroeat, quæsumus Domine Iesu Christe, domum hanc sub nostræ humilitatis ingressu, æterna fælicitas, diuina prosperitas, serena lætitia, charitas fructuosa, sanitas sempiterna. Effugiat ex hoc loco accessus dæmonum, adsint Angeli pacis; domumq; hanc deserat effugata discordia. Magnifica Domine super nos nomen sanctum tuum: Benedic ✠ conuersationi nostræ: sanctifica nostræ humilitatis ingressum, qui Sanctus & pius

es, & permanes cum Patre & Spiritu S. in sæcula sæculorum, Amen.

OREmus & deprecamur Dominum nostrum Iesum Christum, vt benedicendo benedicat hoc tabernaculum ✠ & omnes habitantes in eo: & det eis Angelum bonum custodem: & faciat eos sibi seruire ad considerandum mirabilia de lege sua: auertat ab eis omnes contrarias potestates: eripiat eos ab omni formidine, & ab omni perturbatione: ac sanos in hoc tabernaculo custodire dignetur. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

OREMVS.

EXaudi nos Domine Sancte Pater Omnipotens, æterne Deus: & mittere digneris Sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custodiat,

foueat, visitet, atq; defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

OREMVS.

RESpice Domine propitius super hunc famulum tuum (vel famulam) & opem ei ferre dignare super lectum doloris eius, impone manum tuam manui nostræ, nec nostram peccatorum dexteram spernat infirmitas, sed ad inuocationem tui nominis vertatur, & fugiat, vt sanitati pristinæ restitutus (vel restituta) resurgat & Sanctæ Ecclesiæ tuæ repræsentetur incolumis. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Hic Sacerdos vtramq; manum imponat super caput infirmi.

IN nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus S. ✠ Extinguatur in te

omnis Virtus Diaboli, per imposi-tionem manuum nostrarum: imò per inuocationem omnium San-ctorum Angelorum, Archangelo-rum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confes-sorum, Virginum, atq; omnium si-mul Sanctorum, Amen.

SVper ægros manus imponent & benè habebunt: IESVS Mariæ Filius, mundi salus & Dominus, qui te traxit ad fidem Catholicam, te in ea conseruet & beatum faciat, & meritis Beatæ V. Mariæ, & B. Do-minici Patris nostri, & B, Vincen-tii, B. Hyacinthi & omnium San-ctorum, te ab hac infirmitate libe-rare dignetur

OREMVS.

SAnet te Deus, Pater omnipo-tens, qui te creauit. Sanet te IESVS CHRISTVS, qui pro

te passus est in Cruce. Sanet te Spiritus Sanctus, qui tibi in Baptismo infusus est. Sancta Trinitas, vnus Deus gratiam tuam ad profectum salutis animæ & corporis in te augeat, & ab omni malo te liberet, ac in bono iugiter conseruet Qui viuit & regnat Deus in sæcula sæculorum, Amen.

BEnedictio Dei Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus S. ✠ descendat super te: copiosaq; super caput tuum defluat, & in extrema corporis tui descendat. Interius exteriusq; te repleat atq; circumdet: & sit semper tecum. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Discedens Sacerdos dicat;

COmitto te igitur Deo Omnipotenti & Beatissimæ Virgini Mariæ, atq; protectioni Sanctorum Omnium, Et si quid tentationis vel

desperationis tibi fortè occurrerit, quam firma fide & spe procul arceas, ingere & committe te Cruci, Passioni, & morti IESV CHRISTI Domini nostri. Et hæc sedulò ante oculos cordis tui habe, & mente firmiter teneto, nec desperare debes. Passus enim est & mortuus Dominus noster IESVS CHRISTVS pro te, & omnibus nobis, vt nos omnes saluos faceret, & ipse saluabit animam tuam.



ORA-

ORATIONES

Quas ſuper Agonizantes Sacerdos dicere vtiliter poteſt.

ORATIO

Ad Sanctiſſimam Trinitatem.

TE ſumma DEVS Trinitas, Omnipotens ſempiterne Deus, qui es ſemper & per omnia Deus Benedictus in ſæcula ; & quem omnis Spiritus laudat, ſuppliciter exoramus ; quatenus per meritum illius ineffabilis charitatis, qua dilectiſſimus Filius tuus homo fieri dignatus eſt, qua etiam pro ſalute noſtra vincula, opprobria, conuitia, flagella, ſputa, alapas, coronam

ſpineam, ac immaniſſimam mortem amoroſe paſſus eſt. Ac etiam per meritum Glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, & Omnium Sanctorum, qui tibi ab initio mundi placuerunt; Vt huic famulo tuo, in extremis laboranti, miſericorditer indulgere digneris omnia peccata ſua. Et animam eius, per Sanctas Indulgentias, ex theſauris, tuæ immenſæ charitatis, indultas reddere digneris in illa puritate, innocentia, ac Spirituali claritate, quas in Baptiſmate dignatus es. Vt perenni iubilo, in cœlorum Beatiſſimo Regno, æternaliter te fruatur Amen.

Pater noſter, Aue Maria.

Oratio ad Deum Patrem.

O Pater Altiſſime, ne memineris iniquitatum, quas ex

humana fragilitate, ignorantia, vel malitia, aut alia quauis causa comisit; sed attende (ô Benignissime & suauissime Pater) quam prona sit humana natura ad lapsum; quanta sit eius infectio; quam procliua sit, ex se ipsa humana conditio ad peccandum. Quid enim (ô excellentissime Pater) est genus humanum corruptibile, luteum, vas carnale, ac mortale figmentum; vt ita amariceris de eo & viscera misericordiæ tuæ super illud contineas & permittas illud perire? Memento Domine quod propter miseros peccatores (Misericors) appellaris Idcirco (ô fons totius pietatis & gratiæ) ob tuam infinitam potentiam, conforta in te hanc tuam deficientem, ac debilem creaturam, propter immensam sapientiam tuam. Animam eius illustra; propter

tuam absolutam pietatem, vniuersis eiusculpis ignosce; propter tuam magnam bonitatem, libera eam ab infernali miseria & ab omni calamitate. Da ei (*Sanctissime Pater*) cum tanta contritione à corpore emigrare, vt benignissime suscipiatur à te. Per Vnigenitum tuum, Dominum *nostrum* IESVM CHRISTVM; per preces & merita B. Virginis; per intercessiones & merita, totius triumphantis Ecclesiæ; & omnium Viatorum tibi placentium. Qui es benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

Alia Oratio ad Deum Patrem.

MIsericordiam tuam Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, pietatis affectu pro aliis orare cogimur, qui pro nostris pec-

catis

catis supplicare nequaquam sufficimus: tamen de tua pietate confisi, te deprecamur vt animam huius Agonizantis ad te reuertentem, cum pietate suscipias, & per manus Sanctorum Angelorum, inter Sanctos & electos tuos, in sinu Abrahæ, eam collocare digneris; quatenus à Principibus tenebrarum, & de locis pœnarum liberata; nullius ignorantiæ, aut propriæ voluntatis, seu fragilitatis confundatur erroribus: sed propitius agnoscatur à Sanctis tuis, & beatitudinis requie fruatur: Atque cum magni iudicii aduenerit dies gloria tua perpetuo satietur,
Amen.

Pater noster, Aue Maria.

ORA

ORATIO
Ad Filium Dei Patris.

PRopter charitatem illam ardentiſſimam, qua tu (ô Vnigenite Fili Dei) Patrem tuum æternum æternaliter diligis & ab illo infinito amore diligeris, animam huius famuli (vel famulæ) morientis tua charitate informa. O Sancte, Iuſte, Innocens Agne Dei, qui propter nos ab hominibus diiudicari dignatus es, & quæ non rapuiſti, exoluere voluiſti, eſto quæſumus huic famulo tuo in exitu ſuo propitius, Aduocatus propitius, quam Iudex ſeuerus: & in Sanctis ac profundis vulneribus tuis abſconde eum, vt à cunctis hoſtium tentationibus per te defendatur. Tu Domine qui es Via, Veritas & Vita, ſine cuius ductu & gratia nemo venit ad Patrem,

duc animam eius in ſplendore veritatis ad vitam æternæ gloriæ, Amē

Pater noſter & Aue Maria.

ALIA ORATIO.
Ad Filium Dei Patris.

DOmine IESV CHRISTE Vnigenite ſummi Patris, te obſecramus per tuam digniſſimam in hoc mundo conuerſationem: ac per pleniſſimam charitatem, quam nobis in Cœna nouiſſima demonſtraſti, tribuendo Corpus, & Sanguinem tuum Sacratiſſimum in eſcam & potum, Et per vehementem illam anxietatem, qua contremuiſti, quando poſt trinam tuam orationem, factus eſt ſudor ex tenerrimo corpore tuo, erumpens ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram: atq; etiam per omnem manſuetudi-

nem,

nem, humilitatem, & patientiam: quas tempore Passionis habuisti, dum à sceleratissimis transgressoribus captus, ligatus, consputus, irrisus, blasphematus, & alaphis cæsus fuisti; per omnem quoq; dolorem, quem sustinuisti, quando tàm inhumaniter fuisti flagellatus, spinis coronatus, propriis humeris Crucem baiulans, ductus, diris clauis confossus, & in Crucis patibulo violentissimè distentus ac mortem ipsam perpessus: Per omnem etiam compassionem, qua tibi nunc condoluerunt Discipuli & amici tui astantes, specialiter verò Sanctus Ioannes, & deuotæ fæminæ, quæ te secutæ fuerunt: Specialissimè autem tua dilectissima Genitrix, Mater, Virgo Maria. Esto quæsumus in hac hora piissimus Miserator huius animæ à suo carnis ergastulo recedentis, ad cuius

de-

deuorationem concurrunt & astant tot lupi rapaces, tot Diacones, tot Belluæ infernales, à quorum rabie, importunitate, atq; ferocitate, eam eruere digneris. Circumda & imple illam lumine tuæ clementiæ, ac omnem pietatem & gratiam ei ad salutem necessariam, concede. O Domine, Saluator, Rex, Iudex, & Legifer noster, propter charitatem illam ac ineffabilem pietatem, qua in Cruce pendens pro tuis crucifixoribus exorasti, indulge huic famulo tuo, (vel famulæ) mox migraturo, & nos seruos tuos exaudi nunc pro illo deprecantes; vt in tuo tremendo iudicio clementer tractetur,

AMEN.

1. Pater noster, & Aue Maria.

ORA-

ORATIONES
Ad Spiritum Sanctum.

OBsecramus tuam bonitatem munificentissimam (ô Sancte Spiritus) qui es laborantium subleuator, periclitantium liberator, errantiumque reductor, vt ostendas nunc charitatem tuam in anima huius famuli tui (vel famulæ) agonizantis, & in hoc eius conflictu laborioso, subieues eam in tanto periculo constitutam. Qui cum Patre & Filio, vniuersorum es conditor, & gubernator, Amen.

1. Pater noster, & Aue Maria.

ALIA ORATIO
Ad Spiritum Sanctum.

O Clementissime Spiritus Sancte, quo Pater & Filius se inuicem æternaliter diligunt; qui es

amor amborum; Pax serenissima, tranquillitas infinita, communio plena, & sempiterna lætitia: cuius dono & cooperatione celebrata sunt vniuersa nostræ redemptionis mysteria: de quo etiam illibata Virgo Maria Verbum Patris æterni verùm Deum concepit. Tu qui ab exordio mundi, gratiarum tuarum charismata hominibus multipliciter infudisti, & multorum indurata corda, gratiose præuenisti, emollisti, & conuertisti: Conuerte igitur nunc animam istam hinc exeuntem & ad te pergentem: & quicquid obstaculi gratiæ tuæ extiterit, tolle ab ea, & gratiam eam largiri digneris, per quam consequi mereatur æternam fælicitatem, ad laudem & gloriam pietatis tuæ,

Amen.

1. Pater noster, & Aue Maria.

ORA-

ORATIONES AD DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM.

IESV Deus noster, oculos huius serui tui illumina, ne in morte obdormiat, neq; inimicus eius dicat, præualui aduersus eum. Exaudi Domine Iesu orationes nostras pro eo. Illumina Domine Iesu animam eius. Signa Domine Iesu lumen vultus tui super eum. Voce nostra Domine Iesu clamamus ad te pro eo. Bone Iesu de excelso gloriæ tuæ exaudi nos pro eo orantes. Susceptor esto Domine Iesu illius in obitu suo. Cum Angelis Domine Iesu lætifica animam eius, Amen.

Pater noster. Aue Maria.

II. ORATIO AD IESVM CHRISTVM.

IESV Domine Deus meus, ne in furore tuo arguas hanc creaturam tuam; neq; Bone Iesu in ira tua corripias eam, Exultet Bone Iesu in te. Libera eam ab incursu Dæmonum, Saluam fac Bone Iesu animam eius quoniam defecit. Vide Bone Iesu creaturam tuam in obitu laborantem; & de manu peccatoris libera eam. Conserua Domine Iesu animam eius, & custodi illam à generatione mala in æuum. Amen.

Pater noster, Aue Maria.

III. ORATIO AD IESVM CHRISTVM.

IESV Domine Deus noſter. Anima famuli tui requieſcat in te. Eſto illi nunc in refugium, & liberator. Exurge Bone Ieſu in adiutorium eius; Dæmonem præueni & expelle ne animam iſtam rapere valeat. Sit Bone Ieſu nomen tuum dulciſſimum benedictum ex hoc nunc & vſq; in ſæculum. Voce noſtra bone Ieſu ad te pro ea clamamus; ſalua illius animam in hac hora & libera eam quia Deus noſter es tu, Amen.

Pater noſter, Aue Maria.

IV. ORATIO AD IESVM CHRISTVM.

IESV Domine Deus noſter: iudica clementer animam huius creaturæ tuæ, & expugna impugnantes

illam. Effunde frameam aduersus illos, qui persequuntur eam. Dic Domine Iesu salus tua ego sum & protector in omni tribulatione. Vide Bone Iesu afflictionem suam ne sileas & ne discedas ab illa. Exurge bone Iesu & adiuua illum propter nomen tuum: & effunde super eum spiritum tuum, vt tecum viuat in æternum, Amen.

Pater noster, & Aue Maria.


V. ORATIO AD IESVM CHRISTVM.

IESV Domine Deus noster susceptor esto huius serui tui & libera eum ab omni malo, Exurge bone Iesu, & saluam fac animam istam, vt non timeat dæmones circumdantes eam: tentationes eius respice &

ſuccurre ei ne pereat, Exurge igitur bone Ieſu in adiutorium eius; Exurge & ne repellas in finem. Suſcipe bone Ieſu, ſuſcipe illam, & ne confundas illam ab expectatione ſua; Conuerte faciem tuam ad eam, & ab omni dolore libera illam. Sentiat quæſumus auxilium gratiæ tuæ vt perpetuo gaudeat in te,

Amen,

Pater noſter, & Aue Maria,



ORATIONES AD BEATISSIMAM VIRGINEM MARIAM

Pro Agonizantibus, perutilissimæ & deuotissimæ.

O MARIA Beatissima propter illam grauem commotionem, qua cor tuum contremuit, quando Filium tuum dulcissimum, & Dominum nostrum Iesum Christum, ab impiis captum, ligatum, ad supplicia tractum, & ab omnibus derelictum audisti; Adiuua nunc animam istius in extremis laborantis quatenus de præteritis delictis veram contritionem habeat, & dolorem. Et eam illustra superno splen-

dore, ne in occurſu aduerſarii paueat; aut aſpectu iudicis tremendi, accuſante conſcientia contremiſcat, ſed potiùs precibus tuis interuenientibus, faciem eius in iubilo videns delectetur, Amen.

1. Aue Maria.

II. Oratio ad eandem.

O Virgo dulciſſima Dei Genitrix MARIA, propter planctus & lachrymas, quibus afficiebaris, quando Filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum intellexiſti præſidi præſentari, & ab iniquis innocentem accuſari, & opprobriis affici; Impetra quæſumus huic creaturæ lachrymarum gratiam, & ſacræ fidei indelebile lumen, quo offenſionis maculas abluere valeat. Et tu Mater glorioſa adiuua eam nunc, ne Sathan ei illudere poſſit diuerſis

tentationibus ; nec pro libitu suo flagellare, deuinctumq; reum statuere terribili Iudici ; sed potiùs seipsum in lumine Fidei iudicet in præsenti, ac disciplinis veræ pœnitentiæ deuotè flagellet, Amen.

1. *Aue Maria.*

III. *Oratio ad eandem.*

O MARIA Virgo Sanctissima, ob tormentum & grauamen quod cor tuum sustinuit, quando Filium tuum Sanctissimum Dominum nostrum Iesum Christum, Filium Dei viui, præ dolore voce magna clamantem, te Matrem dilectam Ioanni commendantem, deficientemq; attendebas : ita vt nimio dolore loqui non posses; Subueni ô gloriosa Domina huic creaturæ Dei nunc ; quia lingua eius ad te inuocandam se mouere non potest ; ocu-

li eius lumine priuantur: aures eius ſurdeſcunt; & omnes vires ac ſenſus deficiunt. O piiſſima Mater exaudi preces noſtras, quas ad aures tuæ pietatis fundimus pro ea, & ſubueni, ac commenda eam dilectiſſimo Filio tuo. Quatenus tuo pio interuentu à terroribus & tormentis liberata, ad deſideratam cæleſtis patriæ requiem, te comitante cum iubilo peruenire mereatur. Amen.

℣. Aue Maria.

IV. Oratio ad eandem.

O MARIA Virgo glorioſiſſima, ob ſingultus ſuſpiria, & lamenta, quibus afficiebatur Virgineum cor tuum, quando cernebas Filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, animæ tuæ vnicum ſolatium, ſepeliri. Adiuua ô Sanctiſſima Mater animam famuli

tui, in hac lachrymarum valle laborantem, vt cum de corpore egressa fuerit, tuis suffragantibus meritis & te comitante Domino nostro Iesu Christo glorificanda præsentetur, Amen. *1. Aue Maria.*

V. Oratio ad eandem.

O MARIA Virgo, misericordias tuas cum famulo (vel famula) tua moriente mirifica, illam in meritis Filii tui Saluatoris nostri Iesu Christi, & in intercessione tua sperantem salua; aures tuas piissimas ad eum inclina, & affectum cordis illius exaudi; Respicesu...issima Virgo huius morientis angustias; & ad preces nostras pro illo, intende in hac terribili aduersitate: quia in tua intercessione speramus, Amen.

1. Aue Maria.

VI. Ora-

VI. Oratio ad eandem.

O MARIA Virgo ſacratiſſima libera quæſumus hunc famulum tuum (vel hanc) ab omnibus anguſtiis quas vehementer patitur, vt iubilet cum omnibus Sanctis tuis per te, Recordare Beata Mater, quod tu es Aduocata Miſerorum, Conſolatrix afflictorum, Refugium peccatorum: ideò ſuccurre huic animæ, vt ad iucunditatem cæleſtem peruenire valeat, Suſcipe animam eius in manus tuas, vt exultet & lætetur de gloria Dei & tua. Amen.

1. Aue Maria.

VII. Oratio & vltima ad eandem.

SAncta MARIA Mater Dei dulciſſima, fons totius miſericor-

diæ, piissima inuentrix gratiæ, ora quæsumus pro hac anima ad Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum dulcissimum, vt eam ab omnibus vitiis, & malis exuat, & tueatur; cunctisque virtutibus, & gratiis, ac vniuersis bonis exornet & gaudere faciat. Digneris etiam ô gloriosa Domina ei assistere vsq; ad finem vitæ suæ. Vt per gratiam tuam & protectionem maternæ pietatis tuæ ab omnibus periculis defensa mereatur læta ad cælestem patriam tecum & cum Omnibus Sanctis fæliciter peruenire, Amen.

t. Aue Maria.

Oratio ad Sanctum Angelum custodem.

O Sancte Angele Dei, Protector, Custos & Gubernator huius rationalis Creaturæ,

quas gratias possumus dignas, vel illa per se, vel nos pro illa, propter tua singularia beneficia, agere? Qui à tantis periculis illam præseruasti; tanto tempore protexisti, & per tot annos ei salutaria procurasti? Profectò nullas possumus, quia Diuina beneficia, nostras vires excedunt. Oramus tamen humiliter, pro omnibus eius negligentiis, irreuerentiis, inobedientiis, & erroribus, & pro ea veniam supplicamus; vt qui tanto tempore indefessus eius salutem procurasti, etiam in hac hora vltima succurre, & ne deseras eam, sed ab omni formidine, ab omni pusillanimitate & omnium hostium insidiis, ab omni tentatione, & ab omnibus malis eam potenter eripe, & libera. Esto quæsumus (Beatissime Angele) fidelissimus custos eius, quia tuum est illius cu-

ram gerere, illum defendere, & ſuam ſalutem, totis viribus zelari. Non igitur illam deſeras, donec reconciliatam Deo referas cum miſericordia & clementia & non cum iudicio damnationis. Eia cuſtos fideliſſime, lucretur nunc, per manus tuas IESVS CHRISTVS hanc animam à qua non diſcedas, nec orare pro ea ceſſes, donec compuncta, contrita, in gratia à ſummo Deo recipiatur. Qui es benedictus & glorioſus in ſæcula ſæculorum, Amen.



ORATIO CONCLVSIVA AD IESVM CHRISTVM.

DOmine IESV CHRISTE qui redemisti nos pretioso Sanguine tuo, scribe quæsumus in anima huius rationalis creaturæ tuæ, tua Sacratissima ac pretiosissima vulnera, Sanctissimo ac pretiosissimo Sanguine tuo; vt discat in eis legere tuum dolorem, contra omnes labores, & pœnas, quas pro peccatis suis se meruisse cognoscit. Scribe in ea amorem tuum, vt tibi vniatur amore inuincibili, quo à te nunquam possit separari. Fac eam Domine IESV CHRISTE participem Sanctissimæ Incarnationis, Passionis, & gloriosissimæ Resurrectionis, Ascensionisq; tuæ mirabilissi-

mæ. Fac eam Domine IESV CHRISTE participem Sacratissimorum mysteriorum, & Sacramentorum tuorum. Fac eam Domine participem omnium Orationum & beneficiorum quæ fiunt ab Ecclesia Sancta. Fac eam participem omnium benedictionum, Indulgentiarum, gratiarum, meritorum, ab Ecclesia militante emanantium, ac etiam omnium gaudiorum electorum tuorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi. Vt cum his omnibus in conspectu tuo gaudeat, in æternum, Amen.

Pater noster, Aue Maria, & Credo.

COM-

COMMENDATIO ANIMÆ

In tranſitu exiſtentis.

Kyrie eleyſon,
Chriſte eleyſon.
Kyrie eleyſon,
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cælis Deus, Miſerere ei.
Fili Redemptor mundi Deus, Miſerere ei.
Spiritus S. Deus, Miſerere ei.
Sancta Trinitas vnus Deus, Miſerere ei.
Sancta Maria, Ora pro eo.
Sancta Dei Genitrix, Ora pro eo.
Sancta Virgo Virginum, Ora pro eo.
Sancte Michael, Ora pro eo.
Sancte Gabriel, Ora pro eo.
Sancte Raphael, Ora pro eo.

Omnes Sancti Angeli & Archangeli, Orate pro eo.

Omnes Sancti Beatorum Spirituum Ordines, Orate pro eo.

Sancte Ioannes Baptista, Ora pro eo.

Omnes Sancti Patriarchæ & Prophetæ, Orate pro eo.

Sancte Petre,
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Iacobe,
Sancte Ioannes,
Sancte Thoma,
Sancte Iacobe,
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomæe,
Sancte Mathæe,
Sancte Simon.
Sancte Thadæe,
Sancte Mathia,
Sancte Barnaba,
Sancte Marce,

Ora pro eo.

Sancte

Sancte Luca, Ora pro eo.
Omnes Sancti Diſcipuli Domini,
Orate pro eo.
Omnes Sancti Innocentes, Orate
pro eo.
Sancte Stephane,
Sancte Clemens,
Sancte Corneli,
Sancte Cypriane,
Sancte Laurenti,
Sancte Vincenti,
} Ora pro eo.
Sancte Dionyſi cum ſociis tuis,
Ora pro eo.
Sancte Maurici cum ſociis tuis,
Ora pro eo.
Sancte Ianuari cum ſociis tuis,
Ora pro eo.
Sancti Fabiane & Sebaſtiane,
Orate pro eo.
Sancti Coſma & Damiane,
Orate pro eo.
Sancte Thoma, Ora pro eo.

Sancte

Sancte Petre, Ora pro eo.
Omnes Sancti Martyres, orate pro eo.

Sancte Syluester,	Ora pro eo.
Sancte Gregori,	
Sancte Ambrosi,	
Sancte Augustine,	
Sancte Hieronyme,	
Sancte Hilari,	
Sancte Martine,	
Sancte Nicolae,	
Sancte Antonine,	
Sancte Pater Dominice,	
Sancta Thoma,	
Sancte Vincenti,	
Sancte Hyacinthe,	
Sancte Raymunde,	
Sancte Ludouice,	
Sancte Ceslae,	
Sancte Ambrosi,	
Sancte Antoni,	
Sancte Benedicte,	
Sancte Bernarde,	

San-

Sancte Francisce, Ora pro eo.
Sancte Casimire, Ora pro eo.
Omnes Sancti Confessores, Orate pro eo.

Sancta Anna,
Sancta Maria Magdalena,
Sancta Martha,
Sancta Felicitas,
Sancta Perpetua,
Sancta Agatha,
Sancta Lucia,
Sancta Agnes,
Sancta Cæcilia,
Sancta Catharina,
Sancta Margarita,
Sancta Vrsula cum sodalibus tuis,
Sancta Catharina Senensis,
Sancta Agnes,

Ora pro eo.

Omnes S. Virgines, Orate pro eo.
Omnes Sancti, Orate pro eo.
Propicius esto, Libera eum Domine.

A da-

A damnatione perpetua, Libera eum Domine.

A subitanea & improuisa morte, Libera eum Domine.

Ab imminentibus peccatorum suorum periculis, Libera eum.

Ab infestationibus dæmonum, Libera eum Domine.

Per Mysterium S. Incarnationis tuæ, Libera eum Domine.

Per Passionem & Crucem tuam, Libera eum Domine.

Per gloriosam Resurrectionem tuam, Libera eum Domine

Per admirabilem ascensionem tuam, Libera eum Domine.

Per gratiam Sancti Spiritus Paracliti, Libera eum Domine.

In die Iudicii, Libera eum Domine.

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Vt iracundiæ tuæ flagella ab eo amoueas, Te rogamus audi nos.

Vt

Vt eius spiritum à loco angustiæ liberes, Te rogamus audi nos.
Vt eum in regione viuorum æternis gaudiis confoueri iubeas, Te rogamus audi nos.
Vt nos exaudire digneris, Te roga.
Fili Dei, Te rogamus audi nos.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce ei Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Libera eum Domine,
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miserere ei Domine.
Kyrie eleyson. Christe eleyson.
Kyrie eleyson.

Pater noster.

℣. *Saluum fac seruum tuum.*
℟. *Deus meus sperantem in te.*
℣. *Mitte ei auxilium Domine,*
℟. *Et de Sion tuere eum.*
℣. *Nihil proficiat inimicus.*
℟. *Et filius iniquitatis.*

℣. *Esto ei Domine Turris.*
℟. *A facie inimici.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

Dominus vobiscum, &c.

OREMVS.

OMnipotens sempiterne Deus, conseruator animarum, qui quos diligis, corripis, & quos recipis, piè ad emendationem coerces; te inuocamus Domine, vt famulo tuo qui in corpore patitur membrorum debilitatem gratiam tuam conferre digneris; vt in hora exitus sui de corpore, absq; mortalis peccati macula tibi datori proprio per manus Sanctorum Angelorum eius anima repræsentari mereatur. Per Christum, &c.

Si adhuc vixerit debilitatus, dic sequentem commendationem, quæ est secundùm vsum Romanæ Ecclesiæ.

Profici-

PRoficiſcere anima Chriſtiana de hoc mundo. In nomine DEI Pa ✠ tris Omnipotentis qui te creauit. In nomine IE ✠ SV CHRISTI Filii Dei viui, qui pro te paſſus eſt. In nomine Spiritus ✠ Sancti, qui in te effuſus eſt. In nomine Angelorum & Archangelorum. In nomine Thronorum & Dominationum. In nomine Principatuum & Poteſtatum. In nomine Cherubim & Seraphim. In nomine Patriarcharum & Prophetarum. In nomine Sanctorum Apoſtolorum & Euangeliſtarum. In nomine Sanctorum Martyrum & Confeſſorum. In nomine Sanctorum Monachorum & Eremitarum. In nomine Sanctarum Virginum & omnium Sanctorum & Sanctarum Dei. Hodie ſit in pace locus tuus, & habitatio tua ſit in Sancta Sion. *Per eundē Chriſtum*, &c.

M ORE.

OREMVS.

DEus miſericors, Deus clemens, Deus qui ſecundum multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium deles: & præteritorum criminum culpas venia remiſſionis euacuas: reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum (vel famulam) N. & remiſſionem omnium peccatorum ſuorum, tota cordis confeſſione poſcentem deprecatus exaudi. Renoua in eo ô piiſſime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum eſt: & vnitati corporis Eccleſiæ membrum redemptionis annecte. Miſerere Domine gemituum, miſerere lachrymatum eius: & non habentem fiduciam niſi in tua miſericordia ad tuæ Sacramentum reconciliationis admitte. Per Chriſtum Dominũ noſtrũ Amẽ.

ALIA ORATIO.

COmmendamus tibi Domine animam famuli tui (vel famulæ) precamurq; te Domine Iesu Christe, Saluator mundi, vt propter quam ad terram misericorditer descendisti, Patriarcharum tuorum sinibus insinuare non renuas. Agnosce Domine creaturam tuam, non à diis alienis creatam, sed à te solo Deo viuo & vero: quia non est alius Deus præter te, & non est secundum opera tua. Lætifica Domine animam eius in conspectu tuo, & ne memineris iniquitatum eius antiquarum, Licet enim peccauerit, tamen Patrem, & Filium, & Spiritū S. non negauit, sed credidit, & Zelum Dei in se habuit, & Deum qui fecit omnia fideliter adorauit. Qui viuis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

Egressa autem anima dic hoc:

℟. Subuenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini suscipientes animam eius: Offerentes eam in conspectu Altissimi.

℣. *Suscipiat te Christus qui vocauit te, & in sinu Abrahæ Angeli deducant te.* ℟. *Suscipientes, &c,*

℣. *Requiem æternam dona ei Domine, & lux perpetua luceat ei.*

℟. *Offerentes eam in conspectu Altissimi.*

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson.

Pater noster, &c.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem:*

℟. *Sed libera nos à malo.*

℣. *A porta inferi.*

℟. *Erue Domine animam eius.*


℣. *Requiescat in pace.* ℟. *Amen.*

Domine exaudi orationem meam, &c.

Dominus vobiscum.

OREMVS.

Tibi Domine commendamus animam famuli tui N. (vel famulæ) vt defunctus sæculo tibi viuat: & quæ per fragilitatem humanæ conuersationis peccata commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum, Amen.



ALIÆ ORATIONES EFFICACISSIMÆ,

Pro animabus morientium omnium.

AVdi Historiam ex libris Processionarium Ordinis S. Dominici. Romæ ex Typographia Alphonsi Ciacconi 1610. Sub Reuerendissimo P. F. Augustino Galaminio totius Ordinis Prædicatorum Generali Magistro impressi.

HISTORIA.

ERat quidam Papa, qui dum ad extrema venisset, interrogabat Capellanum suum virum deuotum, quem plurimum diligebat, quibus suffragiis post mortem eum vellet apud Deum iuuare. Qui respondit, quod omnibus modis quibus posset &

quæ.

quæcunq; iuberet pro salute animæ suæ facere vellet. Et Papa, ait: Non peto à te aliud subsidium, nisi dum videris me in agonia positum, Dominicam Orationem pro me tribus vicibus dicas: & tribus vicibus. Aue Maria. Qui libentissime promisit hoc. Ad quem Papa.

Cum Pater noster dixeris, dic in memoriam Agoniæ Domini nostri Iesu Christi, vt infra patebit.

Cum secundum Pater noster dixeris, dic in memoriam omnium Passionum Domini nostri Iesu Christi, vt infra.

Cum dixeris tertium Pater noster, dic in honorem ineffabilis charitatis Domini nostri Iesu Christi, vt infra.

His dictis promisit Capellanus hæc omnia se libenter facturum, quod & fecit cum diligentia, & deuotione. Post mortem apparuit ei Papa splen-

didus & corruscans, grates immensas sibi referens, & dicens ab omni pœna se fore liberatum: Nam post primum Pater noster & Aue Maria, Dominus noster Iesus Christus sudorem suum sanguineum pro me ostendens, omnem meam pulsauit angustiam. Post secundum Pater noster. Per amaritudinem omnium Passionum suarum, omnia peccata mea, vt nubem deleuit. Post tertium Pater noster, Per charitatem suam cœlos reserauit & me cum gaudio introduxit.

Signans se signo Crucis dicatur:

Kyrie eleyson. Christe eleyson, Kyrie eleyson.

Pater noster & Aue Maria.

ORATIO.

DOmine Iesu Christe, per ago-

niam & orationem tuam Sanctissimam, qua orasti pro nobis in monte Oliueti, quando factus est sudor sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram: obsecro te vt multitudinem sudoris tui sanguinei, quem præ timoris tui angustia copiosissime pro nobis effudisti: offerre & ostendere digneris Deo Patri omnipotenti, contra multitudinem omnium peccatorum huius famuli tui (vel famulæ tuæ) & libera eum in hac hora mortis suæ ab omnibus angustiis suis, quas pro peccatis suis se timet meruisse. Qui cum Patre & Spiritu S. viuis & regnas in sæcula sæculorum.

Amen.

Secundum Pater noster.

In primis.

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson.

Pater noster & Aue Maria.

ORATIO.

Domine IESV CHRISTE, qui pro nobis mori dignatus es in cruce: obsecro te vt omnes amaritudines passionum, & pœnarum tuarum, quas pro nobis miseris peccatoribus sustinuisti in cruce, & maxime in illa hora, quando Sanctissima anima tua egressa est de corpore tuo Sanctissimo, offerre & ostendere digneris Deo Patri omnipotenti pro anima huius famuli tui, (vel famulæ tuæ) & libera eam in hac hora mortis ab omnibus peccatis & passionibus, quas pro peccatis suis se timet meruisse. Qui cum Patre &

Spiritu S. viuis & regnas per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Tertium Pater noster.

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson.

Pater noster, & Aue Maria.

ORATIO.

DOmine Iesu Christe, qui per os Prophetæ dixisti: in Charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te miserans tui: Obsecro te vt eandem Charitatem tuam, quæ de cœlo ad terram, ad tolerandas omnium passionum tuarum, amaritudines te attraxit, offerre, & ostendere digneris Deo Patri Omnipotenti, pro anima huius Famuli tui N. (vel famulæ tuæ) & libera eam ab omnibus passionibus & pœnis, quas pro peccatis suis timet se me-

ruisse.

ruisse, & salua animam eius. in hac hora exitus sui, in gloria æterna: Et tu piissime Domine Iesu Christe, qui redemisti nos pretiosissimo sanguine tuo: Miserere animæ Famuli tui N (vel Famulæ tuæ N.) & eam introducere digneris ad semper virentia, & amena loca Paradysi, vt viuat tibi amore inuisibili, qui à te & ab electis tuis separi nunquam potest. Qui cum Patre & Spiritu Sancto viuis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.





ABSOLVTIO CONFRATRIBVS ET SORORIBVS SS. ROSARII,

Impendenda in mortis articulo institutis.

DIcto (Confiteor) ab infirmo aut aliis eius loco, subiungat Confessarius de Ordine S. Dominici si potest fieri. Misereatur tui, &c. Indulgentiam absolutionem &c.

Deinde dicat hanc Absolutionem.

DOminus noster Iesus Christus Filius DEI viui, qui Beato Petro Apostolo dedit potestatem ligandi atq; soluendi, per suam piissimam misericordiam te absoluat, & auctoritate ipsius & Beatorum Apostolorum eius Petri & Pauli, & authoritate Apostolica, & speciali

gratia mihi commissa & tibi concessa à Sanctissimo Domino nostro Innocentio VIII. & Pio V. Ego Absoluo te à Vinculo Excommunicationis maioris & minoris, suspensionis & interdicti si teneris, in quantum ego possum, & restituo te Sanctis Sacramentis Ecclesiæ communioni & vnitati fidelium, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Item eadem Auctoritate mihi commissa & tibi concessa. Ego absoluo te ab omnibus peccatis quæcunq; toto decursu vitæ tuæ quomodocunq; commisisti, de quibus corde contritus, & ore confessus, & quorum memoriam non habes, nec recordaris vsq; in præsentem diem, & de quibus confiteri minimè recordatus fuisti. Et restituo te illi innocentiæ, in qua eras quando ba-

pti-

ptizatus fuisti, ac puritati eidem in quantum claues S. Matris Ecclesiæ se extendunt.

Remitto tibi etiam pœnas Purgatorii, quas propter culpas & offensas contra Deum, & proximum & te ipsum commissas incurristi. Claudo tibi portas inferni, Ianuam Paradysi aperio, bona per te facta & fienda sint tibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiæ & præmium vitæ æternæ; & hoc si de qua infirmitate ægrotas, decedas; si non ex misericordia Dei, salua sit tibi, donec fueris in mortis articulo constitutus. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Amen.

Postea Sacerdos dicat hanc Orationem recedens.

ORATIO.

DOminus IESVS CHRISTVS apud te sit vt te de-

fendat: intra te sit vt te conseruet: ante te sit, vt te deducat: post te sit, vt te custodiat: super te sit, vt te benedicat, ✠ qui cum Patre & Spiritu Sancto, in vnitate perfecta, viuit & regnat, in sæcula sæculorum, Amen.

Benedictio Dei Omnipotentis, Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus S. ✠ descendat super te & maneat semper, Amen.

Vltimo recedens dicat.

Committo te Deo Omnipotenti: & Beatæ Virginis Mariæ, atq; protectioni Omnium Sancto-
rum, &c.



ORATIONES ANTE CONFESSIONEM.

Actus Contritionis.

DOmine mi IESV CHRISTE, verus Deus & homo, Creator & Redemptor meus. Quoniam tu is es qui es, & quia amo te ſupra omnia: Pænitet me ex toto corde, quod te offenderim, & propono firmiter, nunquam ampliùs peccare, & omnes peccandi occaſiones deuitare. Confiteri & implere pœnitentiam, quæ mihi iniuncta fuerit. Condono ſimul amore tui ex corde omnes offenſas, quibus læſus fortè ſim, à quouis proximorum meorum, & ſi quid quiſpiam habeat contra me, vnde iure coram te quæratur, propono ex animo me proxima occaſione ipſi ſatisfacturum.

Omnia deniq; opera mea & afflictiones, ac totam vitam tibi offero, in satisfactionem peccatorum meorum. Et quemadmodum suppliciter à te peto, sic confido in bonitate tua, & misericordia infinita, quod ea merito tuæ pretiosæ passionis & mortis mihi remissurus, & gratiam largiturus sis, ad me emendandum, & ad perseuerandum vsq; ad mortem, Amen.

ALIA ORATIO.

FAteor OMnipotens Deus, quod maiestatem tuam multoties offendi: sed cogito & mecum perpendo, verba quæ ad nostram consolationem clementer admodum protulisti, Quicunq; peccator ingemuerit, & de peccatis suis intimum dolorem ostenderit, non vis ampliùs eorum reminisci. Hoc tuum est dictum, Ecce nunc miser

ego gemens & plorans ad te exclamo: Vlcera & vulnera mea, grauiter fœtent, coram tua maiestate: plenus sum prauis cupiditatibus, nec est sanitas in carne mea: ante te, omne desiderium & gemitus meus non est absconditus: cor meum in me tremit pauore; & virtus mea me dereliquit, & lumen oculorum meorum non est mecum.

Cur autem misericordiam tuam mihi deneges, ô Pater misericordiæ, cum tamen antea mundaueris me, per meritum amaræ Passionis Filii tui dilectissimi in Baptismo, & sacri fontis lauacro. Sed amplius nunc laua me in salutari Sacramento pœnitentiæ: opus tuum inchoatum expoli & absolue, ô cælestis artifex.

Aufer à me omnem iniquitatem, omnia facinora mala, vt lumen tu-

um diuinum, tenebras animæ meæ irradiet concede: cor meum in amore tuo accende: fac vt desiderium huius mundi, cupiditas carnis, quæ proprium commodum, & inanem gloriam affectat, à me penitùs auferantur. Purga me à delictis meis, quibus proximum meum læsi, scandalum aliis obtuli, nec minùs tuam maiestatem offendi; dele non tantùm culpam, sed & pœnam, imò & radicem euelle, & fontem extingue omnium peccatorum meorum; laua me aqua, & fonte tuæ gratiæ, cuius liquorem, qui gustat in æternum non sitit, sed erit ei fons scaturiens in vitam æternam. Absterge me Domine, rore lachrymarum mearum; vt etiam inter illos sim, quibus dixisti: Mundi estis propter Verbum, quod dixi vobis: vt sic mundatus, & sine macula,

in regnum tuum cæleste perueniam, Amen.

ALIA ORATIO D. THOMÆ AQVINATIS.

AD te fontem misericordiæ DEVS, accedo peccator. Ergo digneris me lauare immundum. O Sol iustitiæ illumina cæcum. O æterne medice, cura vulneratum. O Rex Regum, indue spoliatum. O mediator Dei & hominum, reconcilia reum. O Pastor bone, reduc errantem. Da Deus misericordiam misero, indulgentiam criminoso, vitam mortuo, iustificationem impio, vnctionem gratiæ indurato. O Pater clementissime, reuoca fugientem, trahe renitentem, erige cadentem, tene stantem, conduc ambulantem, ne obliuiscaris te obliuiscentem; ne deseras te deserentem; ne spernas peccantem, Ego enim peccando te

Deum meum offendi, proximum læsi, mihi non peperci. Peccaui Deus meus fragilitate contra te Patrem Omnipotentem; ignorantia contra te Filium sapientem; malitia contra te Spiritum Sanctum clementem; & his offendi te Trinitatem excellentem. Heu mihi misero, quod & quanta comisi, qualia perpetraui. Dereliqui te Domine, de bonitate tua conqueror, amore malo accedente, timore malo humiliante: quibus potiùs te amittere, quam amatis carere; potiùs te offendere, quam timenda non incurrere volui. O Deus meus, quantum nocui verbo, & opere, peccando latenter, patenter, & contumaciter. Quare pro mea fragilitate supplico, vt non attendas meam iniquitatem, sed tuam immensam bonitatem, & remittas clementer, quæ

feci,

feci, donans dolorem pro præteritis, & cautelam efficacem de futuris, Amen.

ALIA ORATIO.

Conditor cæli & terræ, Rex Regum, & Domine dominantium, qui me de nihilo fecisti ad imaginem & similitudinem tuam, & me proprio tuo sanguine redemisti; quem ego peccator non sum dignus nominare, nec inuocare, nec corde cogitare. Te suppliciter deprecor, & humiliter exoro, vt clementer respicias me seruum tuum indignum. Et miserere mei, qui misertus fuisti mulieri Chananeæ, & Mariæ Magdalenæ, qui pepercisti publicano & latroni in cruce pendenti. Tibi confiteor Pater piissime, peccata mea, quæ si volo abscondere, non possum tibi Domine. Parce mihi Christe, quem ego nuper multum

offendi,

offendi, cogitando, loquendo, operando, & in omnibus modis, in quibus ego fragilis homo & peccator peccare potui, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideò Domine precor tuam clementiam, qui de cælo pro mea salute descendisti, qui Dauid à peccatu lapsu erexisti, parce mihi Domine, parce mihi Christe, qui Petro te neganti pepercisti. Tu es Creator meus, Redemptor meus, Dominus meus, Saluator meus, Rex meus, & Deus meus. Tu es spes mea & fiducia mea: gubernatio & auxiliatio mea: consolatio mea & fortitudo mea; defensio mea & liberatio mea: vita mea, salus mea, & resurrectio mea; lumen meum & desiderium meum: adiutorium meum & patrocinium meum: Te deprecor, & rogo adiuua me, & saluus

ero: guberna me & defende me: conforta me & consolare me: confirma me & lætifica me: illumina me & visita me: Suscita me mortuum, quia factura, & opus tuum sum. Domine ne despicias me, quia famulus & seruus tuus sum, quamuis malus, quamuis indignus & peccator: sed qualiscunq; sim, siue bonus, siue malus, semper tuus sum. Ad quem ergo fugiam, nisi ad te vadam? Si tu me eiicis, quis me recipiet? Recognosce me ergo indignum ad te refugientem, quamuis sim vilis & immundus: quia si vilis & immundus sum, potes me mundare; si cæcus sum, potes me illuminare? si infirmus sum, potes me sanare? si mortuus & sepultus sum, potes me resuscitare, quia maior est misericordia tua quam iniquitas mea: plus potes dimittere, quam

ego committere: & plùs parcere, quam ego peccator peccare. Non ergo despicias me Domine, neq; attendas multitudinem iniquitatum mearum, sed secundùm multitudinem miserationum tuarum, miserere mei, & propitius esto mihi maximo peccatori. *Dic animæ meæ:* Salus tua ego sum. Qui dixisti: Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat; Conuerte me Domine ad te, & noli irasci contra me. Deprecor te clementissime Pater, propter misericordiam tuam: supplico & exoro, vt perducas me ad bonum finem, & ad veram pœnitentiam, puram confessionem, & dignam satisfactionem omnium peccatorum meorum,

Amen.

ORA-

ORATIONES POST CONFESSIONEM.

SVſcipe Confeſſionem meam, Piiſſime, ac Clementiſſime Domine IESV CHRISTE, Vnica ſpes ſalutis meæ, & da mihi, obſecro, contritionem cordis, & lachrymas oculis meis, vt defleam diebus ac noctibus, omnes negligentias meas, cum humilitate, & puritate cordis. Appropinquet oratio mea in conſpectu tuo Domine. Si iratus fueris contra me, quem adiutorem quæram? Quis miſerebitur iniquitatibus meis? Memento mei Domine, qui Chananæam & Publicanum vocaſti ad pænitentiam, & Petrum lachrymantem ſuſcepiſti. Domine Deus meus, ſuſcipe preces meas; Saluator mundi, I E S V bone, qui te crucis morti dediſti, vt peccatores ſal-

uos faceres, respice me miserum peccatorem, inuocantem nomen tuum, & noli sic attendere malum meum, vt obliuiscaris bonum tuum, Et si commisi, vnde me damnare potes; tu non amisisti vnde saluare soles. Parce ergo mihi, qui es Saluator meus & miserere peccatrici animæ meæ. Solue vincula eius, sana vulnera. Domine IESV, te desidero, te quæro, & volo, ostende mihi faciem tuam, & saluus ero. Emitte igitur piissime Domine, meritis purissimæ, & immaculatæ semper Virginis, Genitricis tuæ Mariæ, & Sanctorum tuorum, lucem tuam, & veritatem tuam, in animam meam, quæ omnes defectus meos in veritate mihi ostendat, quos confiteri me oporter, atq; iuuet, & doceat ipsos plenè & contrito corde explicare. Qui viuis & regnas cum Deo

Patre

Patre in vnitate Spiritus S. Deus, Amen.

Oratio post Confessionem.

SIt tibi Domine obsecro, meritis Beatæ semper Virginis Genitricis tuæ Mariæ, & Omnium Sanctorum, grata & accepta ista confessio mea: & quidquid mihi defuit, nunc & alias de sufficientia contritionis, de puritate & integritate confessionis, suppleat pietas, & misericordia tua, & secundùm illam, digneris me habere plenius, & perfectius absolutum in cælo. Qui viuis & regnas cum Deo Patre per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Alia Oratio.

SAluator & Redemptor mundi, tibi data est potestas in cælo, & in terra, cuius quidem Sacerdotes

Ecclesiæ participes esse voluisti, dans illis authoritatem remittendi & retinendi peccata. Pro qua paterna in nos solicitudine tua, Diuinæ tuæ bonitati immensas ago gratias. Quid retribuam tibi, ô suauissime IESV, cum me misere vulneratum, & semiuiuum iacentem, omnibus donis gratiæ spoliatum, in xenodochium Ecclesiæ tuæ reduxisti, & confessionis Sacramento sanasti? Misericordias igitur tuas in æternum cantabo Domine, & annunciabo miserationes tuas, quia tu propitiatus es iniquitatibus meis & sanasti omnes infirmitates meas Coronans me in misericordia & miserationibus Benedicite igitur mecum Domino, omnia opera eius. Benedic anima mea Domino. Et quicquid mihi defuit de sufficientia contritionis, & de integritate tanti

Sacramenti, suppleat Domine pietas & misericordia tua, quæ me habere absolutum perfectius in cælo dignetur, Amen.

ORATIONES ANTE COMMVNIONEM.

Oratio S. Thomæ Aquinatis.

OMnipotens sempiterne Deus, ecce accedo ad Sacramentum Vnigeniti Filii tui Domini nostri IESV CHRISTI. Accedo tanquam infirmus ad medicum vitæ: immundus ad fontem misericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, pauper & egenus ad Dominum cæli & terræ. Rogo ergo immensæ largitatis tuæ abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem,

lauare fœditatem, illuminare cæcitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem, vt te panem Angelorum, Regem Regum, & Dominum dominantium, tanta suscipiam reuerentia & humilitate; tanta contritione & deuotione; tanta puritate & fide; tali proposito & intentione; sicuti expedit saluti animæ meæ. Da mihi quæso Dominici Corporis & sanguinis, non solùm suscipere Sacramentum, sed etiam rem & virtutem Sacramenti. O mitissime Deus, da mihi corpus Vnigeniti Filii tui Domini nostri IESV CHRISTI, quod traxit de Virgine Maria sic suscipere, vt corpori suo mystico merear incorporari, & inter eius membra connumerari. O amantissime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono,

reue-

reuelata tandem facie perpetuo contemplari Qui tecum viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Alia S. Ambrosij.

AD Mensam dulcissimi Conuiuii tui, pie Domine IESV CHRISTE ego peccator, de propriis meritis nihil præsumens, sed de tua confidens misericordia & bonitate, accedere vereor & contremisco. Nam cor & corpus, habeo multis criminibus maculatum, mentem & linguam non cautè custoditam. Ergò ô pia Deitas, ô tremenda maiestas, ego miser inter angustias deprehensus, ad te fontem misericordiæ recurro, ad te festino sanandus, sub tuam protectionem fugio, & quem iudicem sustinere nequeo, Saluatorem habere suspiro. Tibi Domine

plagas meas ostendo, tibi verecundiam meam detego. *Scio* peccata mea multa, & magna pro quibus timeo. *Spero* misericordias tuas, quarum non est numerus. Respice in me oculis misericordiæ tuæ, Domine IESV CHRISTE, Rex æterne, Deus & homo, crucifixus propter hominem. Exaudi me sperantem in te: miserere mei, pleni miseriis & peccatis, tu qui fontem miserationis nunquam manare cessabis. Salue salutaris victima, pro me & omni humano genere in patibulo crucis oblata. Salue nobilis & pretiose Sanguis, de vulneribus crucifixi Domini mei IESV CHRISTI profluens & peccata totius mundi abluens Recordare Domine creaturæ tuæ, quam tuo Sanguine redemisti. Pœnitet me peccasse, cupio emendare quod feci. Aufer er-

gò à me clementiſſime Pater, omnes iniquitates & peccata mea, vt purificatus mente & corpore, digne deguſtare merear Sancta Sanctorum: & concede vt Sancta prælibatio Corporis & Sanguinis tui, quam ego indignus ſumere intendo, ſit peccatorum meorum remiſſio, ſit delictorum perfecta purgatio, ſit turpium cogitationum effugatio: bonorum ſenſuum regeneratio: operumq; tibi placentium ſalubris efficatia: animæ quoq; & corporis, contra inimicorum meorum inſidias, firmiſſima tuitio, Amen.

Alia Oratio ad B. Mariam Virginem.

O Dulciſſima miſeratrix peccatorum, digniſſima & præclara Virgo, Mater Domini noſtri IESV CHRISTI, Sancta MARIA, Re-

gina cæli & terræ: te deprecor, & exoro vt mihi miserrimo peccatori hodie assistere digneris, in hora illa, qua hoc venerabile, & ineffabile mysterium sum accepturus, sicut astitisti, Vnigenito Filio tuo in cruce. Honora in me peccatore pretiosum Sanguinem eiusdem Filii tui, quem tunc fudit in cruce: amaras lachrymas quas tunc fleuit: & diras pœnas quas tunc pertulit: & charitatem, quam in oculis tuis tunc peccatoribus exhibuit, cum animam suam pro me tradidit: & noli me despicere, quem ipse tanta charitate dilexit. O Domina benignissima, pretiosus ille thesaurus iam effusus est: & cuius erit, si illum miseris non impartieris? Recordare misericordissima Mater nostra misericordiam, quam tibi idem Filius tuus moriens commendauit, & iam cre-

ditur tibi tunc commendaſſe omnem miſericordiam, quam habuit. Recordare officium quod tibi commiſit, cum te peccatorum Aduocatam conſtituit. Recordare charitatem, in qua factus eſt Filius tuus, vt tu fieres Mater noſtra. Adiuua igitur clementiſſima, quæ iuuare conſueuiſti.

ORATIONES POST COMMVNIONEM.

Prima. S. Thomæ Aquinatis.

GRatias tibi ago Domine, Sancte Pater Omnipotens, æterne Deus, qui me peccatorem indignum Famulum tuum, nullis meis meritis, ſed ſola dignatione miſericor-

diæ tuæ satiare dignatus es, pretioso Corpore & Sanguine Filii tui Domini nostri IESV CHRISTI. Et precor vt hæc Sancta communio, non sit mihi reatus ad pænam, sed intercessio salutaris ad veniam: sit mihi armatura fidei, & scutum bonæ voluntatis; sit vitiorum meorum euacuatio, concupiscentiæ & libidinis exterminatio, charitatis & patientiæ, humilitatis & obedientiæ augmentatio: contra insidias inimicorum omnium, tàm visibilium, quàm inuisibilium, firma defensio, motuum meorum, tàm carnalium, quàm spiritualium perfecta quietatio, in te vno ac vero Deo firma adhæsio, atq; finis mei felix consumatio. Et precor te vt ad illud ineffabile conuiuium, me peccatorem perducere digneris, vbi tu cum Filio tuo, & Spiritu Sancto, Sanctis

tuis es lux vera, ſatietas plena, gaudium ſempiternum, & iucunditas conſumata, & fælicitas perfecta, Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Alia S. Bonauenturæ.

TRansfige dulciſſime Domine IESV medullas, & viſcera animæ meæ, ſuauiſſimo ac ſaluberrimo amore tui vulnere, vera, ſerenaque, & Apoſtolica Sanctiſſima charitate, vt langueat & liqueſiat anima mea ſolo ſemper amore, & deſiderio tui: te concupiſcat & deficiat in atria tua, cupiat diſſolui & eſſe tecum. Da vt anima mea te eſuriat, panem Angelorum, refectionem animarum Sanctarum, panem noſtrum quotidianum ſuper ſubſtantialem, habentem omnem dulcedinem ſuauitatis, te in quem de-

ſiderant Angeli proſpicere, ſemper eſuriat, & comedat cor meum, & dulcedine ſaporis tui repleantur viſcera animæ meæ: te ſemper ſitiat fontem vitæ, fontem ſapientiæ & ſcientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, vbertatem domus Dei: te ſemper ambiat, te quærat, te inueniat, ad te tendat, ad te perueniat, te meditetur, te loquatur, & omnia operetur in laudem & gloriam nominis tui: cum humilitate & diſcretione, cum dilectione & delectatione, cum facilitate & affectu, cum perſeuerantia vſq; in finem: & tu ſis ſolus ſemper ſpes mea, tota fiducia mea, diuitiæ meæ, delectatio mea, iucunditas mea, gaudium meum, quies & tranquillitas mea, pax mea, ſuauitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxi-

lium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa & firma & immobiliter semper sit radicata mens mea, & cor meum, Amen.

Alia Oratio.

INeffabilem misericordiam tuam, Domine IESV CHRISTE humiliter exoro, vt hoc Sacramentum Corporis & Sanguinis tui, quod suscepi indignus, sit mihi purgatio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra mundi pericula firmamentum, sit impetratio veniæ, sit stabilimentum gratiæ, sit medicina vitæ, sit memoria tuæ Passionis, sit contra debilitatem fomitis, sit viaticum meæ peregrinationis. Euntem me conducat, errantem me reducat, reuertentem me suscipiat, & titubantem me teneat, cadentem me

erigat & perseuerantem me in gloriam introducat. O altissime Deus, Beatissima præsentia Corporis & Sanguinis tui, sic immutet palatum cordis mei, vt præter te nullum vnquam sentiat dulcedinem, nullam amet pulchritudinem, nullum quærat illicitum amorem, nullam desideret consolationem, nullam admittat vnquam delectationem, nullum curet honorem, nullam timeat crudelitatem. Qui viuis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

Alia Oratio.

Eia nunc gratias tibi ago, piissime Deus, quod me ad sumendum Corpus, & Sanguinem tuum pretiosum vocasti. Gratias tibi ago Dulcissime I E S V, quod me tuo Corpore & Sanguine refecisti. Gratias tibi ago clementissime Deus

pro deuotione, qua me in hac perceptione specialiter respexisti. Gratias tibi ago benignissime Deus, quod me protegendo à periculis custodiuisti. Mi Domine Deus, ecce pro tam gratissima vocatione, pro tàm dulcissima refectione, pro tàm pijssima respectione, pro tàm clementissima protectione & custodia, & pro omnibus beneficiis tuis, tibi Deus meus gratias ago, te benedico, te glorifico in æternum, Amen.

Oratio ad Beatam Virginem Mariam.

Pro obtinendo bono fine.

IN manus tuas ô Sanctissima Virgo MARIA, ego indignus peccator commendo corpus meum, & animam meam, sensus meos & omnes actus meos, parentes, consanguineos,

amicos, & benefactores meos, viuos & defunctos, & omnes mihi recommendatos, & quibus debitor sum. Intercede pro nobis clementissima Virgo MARIA, Mater Domini nostri IESV CHRISTI. Inclina nunc pias aures tuas, ad preces meas, & libera nos ab omni tribulatione, angustia, & omnibus nos affligentibus, ac calumniantibus nos. O pia Dei Genitrix, Virgo MARIA, ne permittas me ampliùs tentari, quam mea fragilitas sustinere potest. O Domina gloriosissima, ne derelinquas me in tribulatione mea, vt non corruam in conspectu aduersariorum meorum, ne de me gaudeant inimici, sed me confortet tua gratia, ad voluntatem Filii tui faciendam, & propositum meum ipsi fideliter obseruandum. Ad te dulcissima & serenissima Virgo MARIA, petitiones

meæ & dolores cordis mei ascendant: ne quæso reuertatur vacua ad me deprecatio mea, sed misericordia tua præueniat, & sequatur me vsque in senectam & senium. O Domina præstantissima, & misericordissima Virgo MARIA, ne derelinquas me in hora mortis meæ: sed ab omni malo me tunc eripias, & perducas miseram animam meam in locum refrigerii, pacis & quietis: vbi benedicat & glorificet, atq; laudet IESVM CHRISTVM Filium tuum, vna cum Patre & Spiritu Sancto in sæcula sæculorum, Amen.



LITHANIA DE OMNIBVS SANCTIS.

Kyrie eleiſon,
Chriſte eleiſon,
Kyrie eleiſon.
Pater de cœlis Deus, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miſerere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miſerere nob.
Sancta Trinitas vnus Deus, Miſerere nobis,
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, Ora pro nobis.
Sancta Virgo Virginum, Ora.
Sancte Michael, Ora.
Sancte Gabriel, Ora.
Sancte Raphael, Ora.

Omnes Sancti Angeli & Archangeli, Orate pro nobis.
Omnes Sancti Beatorum Spirituum Ordines, Orate pro nobis.
Sancte Ioannes Baptista, ora pro n.
Sancte Ioseph, ora pro nobis.
Omnes Sancti Patriarchæ & Prophetæ, Orate pro nobis.

Sancte Petre,
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Iacobe,
Sancte Ioannes,
Sancte Thoma,
Sancte Iacobe,
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomæe,
Sancte Mathæe,
Sancte Simon,
Sancte Thadæe,
Sancte Mathia,
Sancte Barnaba,
Ora pro nobis.

Sancte

Sancte Marce, Ora pro nobis.
Sancte Luca, Ora pro nobis.
Omnes Sancti Discipuli Domini,
Orate pro nobis.
Omnes Sancti Innocentes, Orate
pro nobis.
Sancte Stephane, Ora pro nobis.
Sancte Clemens, Ora.
Sancte Corneli, Ora.
Sancte Cypriane, Ora.
Sancte Laurenti, Ora.
Sancte Vincenti, Ora.
Sancte Dionysi cum sociis tuis,
Ora pro nobis.
Sancte Mauriti cum sociis tuis,
Ora pro nobis.
Sancte Ianuari cum sociis tuis,
Ora pro nobis.
Sancti Fabiane & Sebastiane, Orate
pro nobis.
Sancti Cosma & Damiane, Orate
pro nobis.

Sancte Adalberte,
Sancte Stanislae,
Sancte Floriane,
Sancte Venceslae,
Sancte Sigismunde,
Sancte Georgi,
Sancte Thoma,
Sancte Petre,

Ora pro nobis.

Omnes Sancti Martyres, Orate pro nobis.

Sancte Syluester,
Sancte Gregori,
Sancte Ambrosi,
Sancte Augustine,
Sancte Hieronyme,
Sancte Hilari,
Sancte Martine,
Sancte Nicolae,
Sancte Carole,
Sancte Benedicte,
Sancte Pater Dominice,
Sancte Antonine,

Ora pro nobis.

Sancte Thoma,
Sancte Vincenti,
Sancte Hyacinthe,
Sancte Raymunde,
Sancte Ludouice,
Sancte Ceslae,
Sancte Iacobe,
Sancte Antoni,
Sancte Bernarde,
Sancte Francisce,
Sancte Ignaci Loiolla,
Sancte Francisce Xaueri,
Sancte Casimire,

Ora pro nobis.

Omnes Sancti Confessores, Orate pro nobis.

Sancta Anna,
Sancta Maria Magdalena,
Sancta Martha,
Sancta Brigitta,
Sancta Catharina,
Sancta Theresia,
Sancta Agatha,

Ora pro nobis.

Sancta Lucia,
Sancta Agnes,
Sancta Cæcilia,
Sancta Catharina,
Sancta Margaritha,
Sancta Vrsula cum sodalibus suis,
Sancta Catharina Senensis,
Sancta Agnes,

Ora pro nobis.

Omnes Sanctæ Virgines, Orate pro nobis.
Sancta Helena, Ora pro nobis.
Sancta Zophia, ora.
Sancta Eduigis, ora,
Sancta Elizabeth, ora.
Omnes Sanctæ Viduæ, Orate pro nobis.
Omnes Sancti, Orate pro nobis.
Propitius esto, Parce nobis Domine.
A damnatione perpetua, Libera nos Domine.

A subitanea & improuisa morte,
Libera nos Domine.
Ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis, Libera.
Ab infestationibus dæmonum, Libera nos Domine.
Ab omni immunditia mentis & corporis, Libera nos Domine.
Ab ira & odio, & omni mala voluntate, Libera nos Domine.
Ab immundis cogitationibus, Libera nos Domine.
A cæcitate cordis, Libera nos.
A fulgure & tempestate, Libera.
A peste, fame, & bello, Libera.
Ab omni malo, Libera.
Per mysterium Sanctæ Incarnationis tuæ, Libera nos Domine.
Per Passionem & Crucem tuam, Libera nos Domine.
Per gloriosam Resurrectionem tuam, Libera nos Domine.

Per admirabilem afcenfionem tuam, Libera nos Domine.

Per gratiam *Sancti* *Spiritus* Paraclyti, Libera nos Domine.

In die iudicii, Libera nos Domine.

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Vt pacem nobis dones, Te rogamus.

Vt mifericordia & pietas tua nos cuftodiat, Te rogamus audi nos.

Vt Domnum Apoftolicum & omnes gradus Ecclefiæ, in fancta religione conferuare digneris, Te rogamus audi nos.

Vt Epifcopos & *Prælatos* noftros, & cunctas congregationes illis commiffas in tuo *Sancto* feruitio conferuare digneris, Te rog.

Vt Regibus & *Principibus* noftris, pacem, & veram concordiam, atq; victoriam donare digneris, Te rogamus audi nos.

Vt cunctum populum Chriftianum

pretioso sanguine tuo redemptum conseruare digneris, Te rogamus audi nos.

Vt inimicos Sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, Te rogamus.

Vt omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, Te rogamus audi nos,

Vt animas nostras & parentum nostrorum ab æterna damnatione eripias, Te rogamus.

Vt fructus terræ dare & conseruare digneris, Te rogamus.

Vt oculos misericordiæ tuæ super nos reducere digneris, Te rog.

Vt obsequium seruitutis nostræ rationabile facias, Te rogamus.

Vt mentes nostras ad cælestia desideria erigas, Te rogamus.

Vt miserias pauperum & captiuorum intueri, & releuare digneris, Te rogamus audi nos.

Vt loca nostra & omnes habitantes in eis visitare & consolari digneris, Te rogamus audi nos.
Vt Ciuitatem istam, & omnem populum eius protegere & conseruare digneris, Te rogamus.
Vt omnes fideles nauigantes, & itinerantes, ad portum salutis perducere digneris, Te rogamus.
Vt regularibus disciplinis nos instruere digneris, Te rogamus.
Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam dones, Te rog.
Vt nos exaudire digneris, Te rog.
Fili Dei, Te rogamus audi nos.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Kyrie eleyson.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

Pater noster, & Aue Maria.

℣. *Post partum Virgo inuiolata permansisti.*

℟. *Dei Genitrix intercede pro nobis.*

℣. *Orate pro nobis omnes Sancti Dei.*

℟. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*

ORATIO.

PRotege Domine famulos tuos subsidiis pacis & Beatæ Mariæ semper Virginis patrociniis confidentes à cunctis hostibus redde securos.

ORATIO,

TRibue quæsumus Domine omnes Sanctos tuos iugiter pro nobis orare, & eos clementer exaudire digneris. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

MODVS ERIGENDI CONFRATERNITATEM SS. ROSARII,

Iuxta ordinationem factam in Capitulo Prouinciali FF. Prædicatorum Syluæ ducis Anno 1613. celebrato.

QVia experientia docet, deuotionem SS. Rosarii in dies maiora sumere incrementa, atq; tàm pium institutum in diuersis Oppidis Pagis, Castellis, à præstantissimis Viris ex pia ad D. Virginem Mariam deuotione instantissime desiderari ne molestus semper sit ad Admodum R P. Prouincialem recursus. Declaramus omnes Patres, Priores posse in suis terminis, seruatis seruandis, fundare, seu curare fundare per aliquem Pa-

trem idoneum, aut Fratrem, dictam SS. Societatem SS. Rosarii, cuius confirmatio suo tempore à R. Patre Prouinciali petetur.

Est autem inprimis aduertendum quod pro fundatione huius Confraternitatis primo debet fieri instantia, à Rectoribus vel Præpositis Ecclesiarum in quibus erigenda est, & simul à communitate vel eius capitibus inscriptis: qua petitione visa aut R. Pater Prior, in cuius districtu sita est Ecclesia, ibit in persona, aut alicui Patri, aut Fratri committet per literas patentes, quarum forma ponitur in Capitulo Venetiis celebrato Anno Domini 1592. Ille vero Pater deputatus congregatis in Ecclesia auditoribus, exortationem habebit de SS. Rosarij dignitate, de gratiis quas Deus mediante hac deuotione elargitur, de Priuilegiis & Indulgentiis conces-

sis à Summis Pontificibus: quam gratus sit Beatissimæ Virgini hic orandi modus: de Miraculis, quæ diuina Maiestas per Rosarij deuotionem iam dudum operata est & modo operatur; siq; omnes ad amplexandum hunc orandi modum instigabit.

His peractis, cantabitur aut legetur.

HYMNVS.

Veni Creator Spiritus, &c.

ANTIPHONA.

Veni Sanct. Spiritus. Sub tuum præsidium.

Pie Pater Dominice, &c. Cum Versiculis & Collectis respondentibus, addendo Orationem: Actiones nostras.

Finita oratione indicabit populo Reuerendissimum Generalem Ordinis

Prædicatorum huius Confraternitatis Patronum (quæ hæreditas est B. P. N. Dominici) per Indulgentiam Summi Pontificis, hanc præstare gratiam, vt illorum Ecclesia instituatur Societas prædicta; Ea tamen conditione, quod ei particulare Altare deputabitur. & si contigerit temporis successu Fratres nostros in illo loco instituere Conuentum, dicta Societas ad Ecclesiam nostri Ordinis transferetur.

Quibus acceptatis dicat idem clara voce sequentia.

EGo Frater N. Ordinis Prædicatorum, authoritate mihi commissa à R. P. F. N. Priore Conuentus N. Ciuitatis N: in cuius Diœcesi sita est præsens Ecclesia, nomine R. Patris Magistri Generalis totius Ordinis Præ

dicatorum, instituo, erigo, & planto Societatem Sanctissimi Rosarij Dei Genitricis Mariæ in hac Ecclesia N. loci N. eamq; institutam erectamq; declaro, cum omnibus gratiis, Priuilegiis, & Indulgentiis, quibus solent huiusmodi Societates potiri, frui, & gaudere, ad laudem & honorem ***Omnipotentis Dei****, Beatæq; semper* ***Virginis Mariæ,*** SS. *Rosarij Reginæ,* ***& B. P. N. Dominici*** *eiusdem authoris & inuentoris, & Omnium Sanctorum & Sanctarum Dei:* In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.

Inscribat postmodum in libro ad hoc deputato nomina omnium, & Rosaria benedicat, & petat per Notarium fieri Authenticum instrumentum huius fundationis, in quo inserantur omnia prædicta cum verbis institutionis & literis patentibus.

Postea cantabitur aut legetur:

Te Deum Laudamus. *Deinde Pater noster, & Aue Maria dicet.*

℣. *Saluos fac seruos tuos & ancillas tuas.*

℟. *Deus meus sperantes in te.*

Dominus vobiscum, &c.

OREMVS.

DEfende quæsumus Domine, Beata Maria Virgine intercedente, istam ab omni aduersitate Societatem, & toto corde tibi prostratam, ab hostium tuere clementer insidiis.

ORATIO II.

ECclesiæ tuæ Domine preces placatus admitte, vt destructis aduersitatibus, & erroribus vniuersis, Ecclesia tua secura tibi seruiat liber-


tate. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

℣. *Nos cum prole pia.*

℟. *Benedicat Virgo Maria.*

Promulget autem Plenariam Indulgentiam pro iis, qui sunt inscripti, & vltimo det benedictionem dicendo.

Benedictio Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus S descendat super vos & maneat semper, Amen.



MODVS RECIPIENDI AD CONFRATER. SS. ROSARII B. V. MARIÆ.

PRomet or protunc existens adhortationem pro Consilio suo prudenti faciet, de dignitate SS, Rosarij, &c.

Postea ante Altare B. V. MARIÆ *dicat Psalmum*:

LEuaui oculos meos in montes, &c.

ANTIPHONA.

Sub tuum præsidium confugimus, &c.

Kyrie eleison.

Christe eleison &c.

Pater noster, & Aue Maria 1.

℣. *In omni tribulatione & angustia.*
℟. *Subueniat nobis pia Virgo Maria.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
Dominus vobiscum.
Et cum Spiritu tuo.

OREMVS.

DEus qui nobis sub mystico Sanctæ Genitris Rosario, singula vitæ, mortis, ac gloriæ tuæ mysteria repræsentas, da quotquot huiusce plantationis cultores adscribimur, cælestis hortus sertis triumphalibus coronari. Qui viuis & regnas, &c.

ORATIO II.

PRotege Domine famulos tuos subsidiis Pacis, & B. Mariæ semper Virginis patrociniis confidentes, à cunctis hostibus redde securos Per CHRISTVM Dominum nostrum, Amen.

Post inscriptionem sui nominis, dicat recipiens.

EGo N. te Beatam Virginem, eligo hodie, in Patronam & Aduocatam meam, precans tuam piissimam Clementiam, vt subuenias mihi in omnibus necessitatibus meis, nunc & in hora mortis meæ, Amen.

Quo facto dicat Promotor, vel qui præest.

AVthoritate Dei Omnipotentis, & Beatæ Mariæ Virginis, Beatorum Apostolorum, Petri & Pauli, nec non N. Summi Pontificis, recipio te ad Confraternitatem SS. Rosarii, & facio te participem, omnium gratiarum, Indulgentiarum, quas Summi Pontifices huic Societati multiplicauerunt atq; addiderunt, cæterorumq; bonorum omnium, Missarum, Orationum, Vigilia-

rum, & id genus afflictionum, quæ ad huius Societatis, tàm Fratribus, quàm Sororibus feruntur, & patiantur per totum orbem, vt multiplici suffragiorum Sanctorum adiutus præsidiis vitæ æternæ, præmium ac Regnum cœlorum fælicius ac copiosius consequi merearis, vt tàm in vita, quàm post mortem eorum indulto particeps esses & gauderes. In nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus S. ✠ Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO ROSARIORVM.

℣. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit Cœlum & terram.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

Dominus vobiscum.

Et cum Spiritu tuo.

OREMVS.


OMnipotens & misericors Deus, qui propter eximiam charitatem tuam, qua dilexisti nos, Filium tuum Dominum nostrum IESVM CHRISTVM de cœlis in terram descendere, & de Beatissimæ Virginis MARIÆ Dominæ nostræ vtero sacratissimo, Angelo nunciante carnem suscipere, crucemq; ac mortem subire, & tertia

die gloriose, à mortuis resurgere voluisti, vt nos eriperes de potestate diaboli: Obsecramus immensam clementiam tuam, vt hæc signa Rosarii, in honorem & laudem eiusdem Genitricis Filii tui, ab Ecclesia tua fideli dicata, benedicas ✠ & sanctifices ✠ eisq; tantam Spiritus S. infundas virtutem, vt quicunq; horum quodlibet secum portauerit, atque in domo sua reuerenter habuerit, & in eis ad te, secundùm eiusdem Sanctæ Societatis instituta, diuina contemplando mysteria, deuotè orauerit, salubri & perseueranti deuotione abundet, sitq; consors & particeps, omnium gratiarum, Indulgentiarum, quæ eidem Societati per Sanctam Sedem Apostolicam concessa fuerunt. Et ab hoste visibili & inuisibili semper & vbiq; in hoc & in futuro sæculo liberetur:

& in exitu suo, ab ipsa Beatissima Dei Genitrice Maria, sibi plenus bonis operibus præsentari mereatur. Per eundem Christum Dominum nostrum.

Aspergatur aqua benedicta.

In nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus S. ✠ Amen.



INDVLGENTIÆ CONCESSÆ PORTANTIBVS ROSARIVM à FF. Prædicatoribus benedictum.

INnocentius VIII. Concessit omnibus Confratribus SS. Rosarij, portantibus Rosarium benedictum, Centum annos, & totidem quadragenas Indul: in Bulla splendor &c. Easdem Indulgentias confirmauit & duplicauit, Alexander VI. in Breui: Illius qui perfecta charitas.

BENEDICTIO Candelarum seu Cereorum.

ORATIO.

DOmine Iesu Christe, lux vera, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, effunde per intercessionem B. Virginis Mariæ Matris tuæ, & per quindecim eius Rosarii Mysteria, benedictionem tuam ✠ super hos Cereos & candelas, & sanctifica eas ✠ lumine tuæ gratiæ: Et concede propitius, vt sicut hæc luminaria igne visibili accensa, nocturnas depellunt tenebras, ita corda nostra inuisibili igne, id est Spiritus S. ✠ splendore illustrata, omnium vitiorum cæcitate careant, vt puro mentis oculo cernere possimus, quæ tibi placita sunt & nostræ saluti vtilia: quatenus post huius sæculi Caliginosa discrimina, ad lucem indeficientem peruenire mereamur. Qui viuis & regnas Deus in sæcula sæculorũ, Amẽ.

INDVLGENTIÆ CONCESSÆ, Tenentibus in mortis Articulo Cereum SS. ROSARII.

ADrianus VI. concedit, quod is, qui in extremis constitutus, in manu sua tenuerit Benedictum Cereum SS. Rosarij ac sic de vita migrauerit suorum peccatorum Plenariam Indulgentiam consequatur: dum modo antequam decesserit semel ad minus Rosarium B. Mariæ V. persoluerit: quod & alij multi confirmarunt

BENEDICTIO Rosarum tempore Verno.

ORATIO.

DEVS Creator, & Conseruator generis humani, dator gratiæ Spiritualis, & largitor æternæ salutis, benedictione tua sancta, benedic ✠ has Rosas, quas pro gratiis tibi exoluendis cum deuotione ac veneratione B. semperq; Virginis Mariæ, hodie tibi præsentamus: & petimus benedici, & infundi in eis per virtutem S. Crucis ✠ benedictionem cœlestem. & qui eas ad odoris suauitatem, & repellendas infirmitates humano vsui tribuisti, talem signaculo S. Crucis ✠ benedictionem accipiant, vt quibuscunq; infirmis appositæ fuerint, seu qui eas in domibus suis vel locis cum deuotione habuerint, aut portauerint, ab infirmitatibus sanentur. Discedant Diaboli, contremiscant & fugiant cum suis ministris de habitationibus

illo-

illorum, nec amplius tibi seruientes inquietare præsumant. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO Imaginum.

℣. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit cælum & terram.*

OREMVS.

Omnipotens sempiterne Deus, maiestatem tuam suppliciter exoramus; vt Ichonam seu imaginem hanc, in qua gloriosissimæ imagines, tua, & Filii tui Domini nostri Iesu Christi, gloriosæque Virginis Mariæ, aliorumq; Sanctorum N. depictæ sunt, benedicere ✠ & Sanctificare ✠ digneris, ante, quam qui-

cunq; ob deuotionem, se ad ipsam deuotè adorandam inclinauerint, salutem mentis, & corporis consequantur, & à cunctis periculis liberentur, & quicquid iustè petierint, obtinere mereantur. *Per eundem* Dominum nostrum Iesum Christum, Amen.

BENEDICTIO Super Cruces in Festo S. Petri Martyris Ord. Præd. efficacissima ad repellendas tempestates, tonitrua,

ponendo in agris, domibus, & locis, has Cruces.

℣ *Adiutorium nostrum &c.*
Dominus vobiscum, &c.

OREMVS.

DOmine IESV CHRISTE

Fili

Fili Dei viui, benedic ✠ Cruces istas, supplicationibus nostris, & infunde eis Domine, per virtutem Sanctæ Crucis, & per intercessionem B. Petri Martyris benedictionem cœlestem, qui eas ad repellendas tenebras humano generi tribuisti, talemq; benedictionem, signaculo Sanctæ Crucis accipiant ✠ vt in quibuscunq; locis positæ fuerint, discedant Principes tenebrarum, & contremiscant, & fugiant pauidi, cum omnibus ministris suis de habitationibus illis, nec præsumant ampliùs inquietare aut molestare seruientes tibi Omnipotenti Deo. Qui viuis & regnas Deus in sæcula sæculorum, Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO.
Nouæ Crucis.

℣. *Adiutorium nostrum, &c.*
Domine exaudi orationem, &c.
Dominus vobiscum.

OREMVS.

BEnedic ✠ Domine hanc creaturam tuam, per quam eripuisti mundum, à dæmonum potestate, & superasti Passione tua suggestorem peccati, qui gaudebat in præuaricatione primi hominis per ligni vetiti sumptionem.

Hic aspergit aqua benedicta.

Sanctificetur hoc signum Crucis, In nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus S. ✠ vt orantes, inclinantesq; se propter Dominum, ante istam Crucem inueniant corporis & animæ sanitatem, Amen. *Postea*

Sacerdos

Sacerdos ante Crucem benedictam genuflexus deuotè adorat & osculatur.

BENEDICTIO Ruthæ.

Adiutorium nostrum in nomine Domini. &c.

Dominus vobiscum &c.

OREMVS.

BEnedic Domine ✠ hanc Rutham, & infunde ei perpetuam virtutem, Sanctam benedictionem ✠ Cælestem, vt quicunq; ex ea suffumigatus fuerit, vel eam super se habuerit, nullus inimicus ei nocere possit, & in quibuscunq; locis aspersa vel posita fuerit, recedat diabolus & fugiat, & non præsumat ampliùs inquietare, vel illudere Creaturam tuam, suppliciter te exoro

Deus Omnipotens, vt mittas Sanctum Angelum tuum, qui euulsit & expullit à Sara & Tobia dæmonem mortiferum & lædentem, vt illum conterat & perdat de cunctis animantibus colentibus te Deum, de scamnis, de angulis, de lectis, & de omnibus locis in quibuscunq; habitat, vigilat & consistit, nec valeat ampliùs inquietare, pauoremque immittere in illos, quos Sancta Vnctio muniuit. Benedicaris igitur Rutha, In nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus S ✠ Amen, vt sis exterminatio diabolica, per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos Iesum Christum Dominum nostrum, Qui viuit, & regnat cum Deo Patre, & Spiritu S. in sæcula sæculorum, Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

ITI-

ITINERARIVM.

CANTICVM ZACHAR.

Benedictus Dominus, &c.

ANTIPHONA.

In viam pacis dirige nos Domine.

ANTIPHONA.

DOmine non secundum peccata nostra facias nobis, neq; secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

Sub tuum præsidium, &c.

Angeli, Archangeli, Throni, & Dominationes, Principatus & Potestates, Virtutes cœlorum, laudate Dominum de cœlis.

Magne Pater Sancte Dominice, mortis hora nos tecum suscipe, & hic semper nos pie respice.

Memor Pater ô Hyacinthe naturæ nostræ fragilis, stans coram summo Iudice nos tuis iuua meritis.

Sancti Dei omnes, &c.

Kyrie eleison. Christe eleison.

Kyrie eleison. *Pater noster. &c.*

℣. *Benedictus Dominus die quotidie.*

℟. *Prosperum iter faciat nobis, Deus salutarium nostrorum.*

℣. *Conuerte nos Deus salutaris noster.*

℟. *Et auerte iram tuam à nobis.*

℣. *Post partum Virgo inuiolata permansisti.*

℟. *Dei Genitrix intercede pro nobis.*

℣. *Angelis suis Deus mandauit de te.*

℟. *Vt custodiant te in omnibus viis suis.*

℣. *Pie Pater Dominice tuorum memor operum*

℟. *Sta coram summo Iudice, pro tuo cetu pauperum*

℣. *Ora pro nobis B. Hyacinthe.*

℟. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*

℣ *Lætamini in Domino & exaltate iuſti*

℟. *Et gloriamini omnes recti corde.*

Domine exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Dominus vobiſcum.

OREMVS.

ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & viam famulorum tuorum, in ſalutis tuæ proſperitate diſpone; vt inter omnes viæ & vitæ huius varietates tuo ſemper protegamur auxilio.

DEus qui nos in tantis periculis conſtitutos, pro humana ſcis fragilitate non poſſe ſubſiſtere: da nobis ſalutem mentis & corporis; vt ea pro peccatis noſtris patimur, te adiuuante vincamus.

PRotege Domine famulos tuos ſubſidiis pacis, & B. Mariæ ſemper Virginis patrocinijs confiden-

tes à cunctis hostibus redde securos.

DEus, qui miro ordine Angelorum Ministeria, hominumq; dispensas: concede propitius, vt à quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistitur; ab his in terra vita nostra muniatur, quatenus quos hic habemus, te donante custodes: ibi apud te conciues semper aspicere mereamur.

COncede quæsumus Omnipotens & misericors Deus, vt malis omnibus, quibus meritò propter scelera nostra affligimur, B. Hyacinthi Confessoris cui intercessione superatis, ad tuam securi gloriam transeamus.

TRibue quæsumus Domine, omnes Sanctos tuos iugiter orare pro nobis, & eos clementer exaudire digneris.

Benedictio Dei Omnipotentis Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus S. ✠ descendat super vos, & maneat semper, Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

Peracto itinere dicatur Psalmus:
Ad te leuaui, &c.

ORATIO.

MIserere quæsumus Domine famulis tuis, & quicquid eis in via subripuit, visus vel auditus male rei, aut otiosi sermonis, totum tua ineffabili clementia, & meritis Beatissimæ Matris tuæ Mariæ & S. Patris nostri Dominici, & S. Hyacinthi deleas & abstergas. Qui viuis & regnas Deus in sæcula sæculorum.

Amen.

BENE

BENEDICTIO Loci.

℣. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit cœlum & terram.*
Domine exaudi, &c.
Dominus vobiscum, &c.

OREMVS.

BEne ✠ dic Domine Deus Omnipotens locum istum, vt sit in eo sanitas, castitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas, & mansuetudo, plenitudo legis, gratiarum actio, Deo Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: & hæc benedictio maneat super hunc locum, & super habitantes in eo, nunc, & in omnia sæcula sæculorum, Amen.

BENEDICTIO
Domus nouæ.

℣. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit cœlum & terram*

Domine exaudi orationem, &c.

Dominus vobiscum &c.

OREMVS.

TE Deum Patrem Omnipotentem suppliciter exoramus pro hac domo, & pro habitatoribus eius, ac rebus: vt eam bene ✠ dicere & sancti ✠ ficare, ac bonis omnibus ampliare digneris: tribue eis Domine de rore cœli abundantiam, & de pinguedine terræ vitæ substantiam, & desideria voti eorum ad effectum tuæ miserationis perducas. Ad introitum ergo nostrum bene ✠ dicere & sancti ✠ ficare di-

gneris hanc domum, ſicut benedicere dignatus es domum Abraham, Iſaac & Iacob: & intra parietes domus iſtius, Angeli tuæ lucis inhabitent, eamq; & eius habitatores cuſtodiant. *Per* Chriſtum *Dominum* noſtrum, Amen.

BENEDICTIO Ad quodcumque Comeſtibile.

℣. *Adiutorium noſtrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit cælum & terram.*

Domine exaudi orationem, &c.

Dominus vobiſcum, &c.

OREMVS.

BEne ✠ dic Domine Creaturam iſtam N. vt ſit remedium ſalutare generi humano: & præſta per inuocationem Sancti nominis tui: vt

qui

quicumq; ex ea sumpserint, corporis sanitatem, & animæ tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

BENEDICTIO Panis.

Adiutorium nostrum, &c.
Dominus vobiscum, &c.

OREMVS.

DOmine IESV CHRISTE, panis Angelorum, panis viuus æternæ vitæ, benedicere ✠ dignare panem istum, sicut benedixisti quinque panes in deserto, vt omnes ex eo gustantes, inde corporis & animæ percipiant sanitatem, Qui viuis & regnas Deus in sæcula sæculorum, Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO Agni Paſchalis.

Adiutorium noſtrum, &c.
Dominus vobiſcum, &c.

OREMVS.

DEVS, qui per famulum tuum Moyſen, in liberatione populi tui de Ægypto, agnum occidi iuſſiſti in ſimilitudinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & vtroſq; poſtes domorum de ſanguine eiuſdem Agni perungi præcepiſti; Ita benedicere ✠ & ſanctificare digneris ✠ hanc creaturam carnis, quam nos famuli tui ad laudem tuam ſumere deſideramus, per Reſurrectionem eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui tecum viuit, &c. Amen.

Aſpergatur aqua benedicta.

EXOR-

EXORCISMVS Contra imminentem tempeſtatem Fulgurum & grandinis.

PEr ſignum ✠ Crucis de inimicis ✠ noſtris, Libera nos ✠ Deus noſter. In nomine ✠ Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus S. ✠ Amen.

Dicatur Symbolum. Credo in Deum Patrem, &c.

Deinde. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter, & Aue Maria.

℣. *Adiutorium noſtrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit cælum & terram.*

℣. *Sit nomen Domini benedictum.*

℟. *Ex hoc nunc & vſque in ſæculum.*

℣. *Exurgat Deus & diſſipentur inimici eius.*

℟. Et

℟ *Et fugiant qui oderunt eum à facie eius.*
℣. *Exurge Christe adiuua nos.*
℟. *Et libera nos propter nomen tuum.*
℣ *Domine exaudi orationem meam.*
℟ *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMVS.

DOmine Iesu Christe, qui fecisti cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, quique flumini Iordani benedixisti, atq; in eo baptizari voluisti, & tuas Sanctissimas manus, & brachia Sanctissima in Cruce ✠ extendisti, qui aërem sanctificasti: obsecramus immensam pietatis & bonitatis tuæ abundantiam, quatenus has nubes, quas ante me, & post me, & supra me à dextris & à sinistris video aërem perturbare, dissoluere, & adnihilare digneris, vt

alligata poteſtas dæmonum, impiè deſæuientium deficiat, & turbetur ad laudem tui Sanctiſſimi nominis & potentiſſime maieſtatis tuæ. Qui viuis & regnas, &c.

Poſtea conuerſus ad nubes ſignet eas ſigno crucis dicens:

Circumdet te nubes Deus Pater: ✠ Circumdet te Deus Filius: ✠ Circumdet te Deus Spiritus S: ✠ Deſtruat te Deus Pater: ✠ Deſtruat te Deus Filius: ✠ Deſtruat te Deus Spiritus S: ✠ Comprimat te Deus Pater. ✠ Comprimat te Deus Filius: ✠ Comprimat te Deus Spiritus S: ✠ Amen.

OBSECRATIO.

SAnctus Mathæus, S. Marcus, Sanctus Lucas, S. Ioannes Euangeli-

sta, qui Christi Euangelium, per quatuor mundi partes diuulgarunt, ipsi suis meritis & precibus, hanc tempestatem à termino isto, & ab omnibus Christianorum finibus ab eodem Domino nostro Iesu Christo obtineant effugari & depelli.

EXORCISMVS.

ET ego peccator, & Christi Sacerdos, seu Minister licet indignus, auctoritate & virtute eiusdem Dei & Domini nostri Iesu Christi Summi Imperatoris, non mea potentia innixus & confixus, vobis præcipio immundissimi Spiritus, qui has nubes seu nebulas concitatis in virtute eiusdem Dei & Domini nostri Iesu Christi ✠ per Sanctissimam eius Incarnationem, per Natiuitatem, per Baptismum, & Ieiunium ipsius. Per eius Sacratissimam Crucem ✠ & Passionem. Per San-

ctam Resurrectionem. Per admirabilem Ascensionem. Per tremendum aduentum eius, & Iudicium. Per merita intemeratæ semperq; Virginis Mariæ, & Sanctissimi N. & per merita omnium Sanctorum, vt exeatis ab eis, & eas dispergatis in locis syluestribus, & incultis, quatenus nocere non possint hominibus, animalibus, fructibus, herbis, arboribus, aut quibuscunq; rebus, humanis vsibus deputatis. Per eundem Dominum nostrum IESum Christum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos & sæculum per ignem, Amen. Ipse vobis imperat dæmones, qui has nubes commouetis, de quo de nube lucida dictum est: Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui. ✠ Ipse vobis imperat, qui sua Sanctissima Cruce ✠

& Corporis sui Sanctissimi in ea extensione aërem purgauit. ✠ Ipse vobis imperat, qui per mortem suam vos, principem vestrum, mortemq; deuicit & ligauit, atq; æternæ gehennæ nuncupauit ignibus, ✠. Ipse vobis imperat, qui inferno spoliato surrexit à mortuis. ✠. Ipse vobis imperat, qui post quadraginta dies, nube susceptus, virtute sua ascendit in cælum. ✠ Ipse vobis imperat, qui venturus est iudicare viuos & mortuos & sæculum per ignem, Amen.

Postea ostendat Crucem in àëra, dicens :

Ecce lignum Sanctissimæ Crucis, fugite partes aduersæ, vicit enim vos & mundum Dominus noster Iesus Christus Filius Dei, Im-

peratot

perator Summus, Leo de tribu Iuda, Radix Dauid.

℣. *Benedicamus Patrem & Filium cum S. Spiritu.*

℟. *Laudemus & super exaltemus eum in sæcula.*

℣. *Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.*

℟. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*

℣. *Exurge Christe adiuua nos.*

℟. *Et libera nos propter nomen suum. Domine exaudi orationem, &c.*

OREMVS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia maiestatis adorare vnitatem: quæsumus vt eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur aduersis.

ORATIO.

PRotege Domine famulos tuos subsidiis pacis: & Beatæ Mariæ semper Virginis patrocinio confidentes à cunctis hostibus & periculis redde securos.

ORATIO.

A Domo tua quæsumus Domine, spiritales nequitiæ repellantur & aërearum discedat malignitas tempestatum.

ORATIO.

AD te nos Domine clamantes exaudi, & aëris serenitatem nobis tribue supplicantibus: vt qui iustè pro peccatis nostris affligimur, misericordia tua præueniente tuam clementiam sentiamus. Per Christum Dominum nostrum, Amē.

Postea aspergatur aqua benedicta in modum Crucis per quatuor latera. Dicendæ etiam sunt Lithaniæ, si non quieuit tempestas.

DEPVLSIO MALEFICORVM ET INCANTATIONVM.

Siue preces contra incantationes, in domibus, vel in locis, & personis.

℣. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit cœlum & terram.*

Kyrie eleison, Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster. Aue Maria. Credo.

℣ *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

Dominus vobiscum, &c.

OREMVS.

DEus cœlorum, terræ, maris, & omnium quæ in eis sunt, conditor & moderator; qui Sathanam

extollentem sese aduersus mentem tuam, vna cum asseclis ipsius sicut fulgur de cælo præcipitasti, & ministrorum eius Magorum Pharaonis Moysi seruo tuo resistentium, incantationes, & maleficia inefficacia reddidisti: te supplices exoramus, vt incantationes, præstigias & maleficias, huic famulo tuo (vel famulæ) (vel huic loco) (vel in his creaturis tuis) improba fraude dæmonum (meritis peccatorum nostrorum fortassis) intenta & inflicta Omnipotenti virtute tua, & clementi bonitate dimoueas, auertas, & itidem inefficacia reddas, quo tyrannide eorum liberati, tibi Domino Deo nostro expeditius seruiamus, & nomen Sanctum tuum studiosius celebremus. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

ORE-

OREMVS.

DOmine IESV CHRISTE Fili Dei viui, qui de ſinu Patris in terram deſcendiſti, vt opera diaboli diſſolueres, & Diſcipulis tuis dediſti poteſtatem calcandi ſerpentes & ſcorpiones: te ſuppliciter precamur, vt eos ipſos antiquos ſerpentes, atq; dracones diabolos, qui in hoc famulo tuo (*vel famula*) (*vel in hoc loco*) (*vel in his creaturis tuis*) tyrannidem ſibi vſurpant, pedibus familiæ tuæ potenter ſubiicias, & opera eorum, quæ adducti incantationibus, & maleficiis hominis mente corrupti, & ſibi deditι in perniciem ſerui tui (*vel ſeruorum tuorum*) machinantur & exercent; diuina bonitate & virtute tua diſſoluas & inefficacia reddas. Qui cum eodem Patre tuo & Spir. tui S. Deus vnus regnas in ſæcula, &c.

EXORCISMVS.

EXorcizo & adiuro vos maledicti diaboli, quicunq; & quotquot estis, qui incantationibus, maleficiis & nefariis artibus addicti vobis hominis adducti, hominem hunc (vel locum hunc) (vel has Dei creaturas) perniciosè vexatis & exagitatis, vel hinc statim cum omnibus præstigiis & maleficiis vestris discedatis, nec vllam vobis deinceps potestatem in hunc hominem (vel in hunc locum) (vel creaturas) vsurpetis. Hoc autem non mea virtute, vel meritis, vobis præcipio. sed in nomine Dei omnipotentis Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus S. ✠ & in virtute Sanctæ ✠ Crucis & mortis Christi Domini nostri, per quam potestas omnis tenebrarum, & tyrannis vestra in homines & omnes

creaturas Dei, eneruata & exinanita est. Recedite ergo & fugite hinc illico, & date locum Dei potentiæ, dissoluentis opera vestra maligna per immensam misericordiam suam. Increpet in vos digitus Dei, qui Magorum Pharaonis incantationes inefficaces reddidit, & cuius virtutem tunc agnouistis, cum Pauli Apostoli imperio, vim vestram in Elymam Magum, & mancipium vestrum (ad cuius nutum multos nocebatis) conuertistis; & cum in S. Iustinam incantante, & vos urgente Cypriano, nihil profecistis, sit super vos etiam nunc terror Dei omnipotentis, qui vos in ignem æternum præcipitaturus est, Pater ✠ & Filius ✠ & Spiritus S. ✠ Amen.

His dictis aspergatur homo vel locus, vel iumenta, & pecudes incantatæ & maleficiatæ aqua benedicta: & suffi-

tu thuris, vel herbarum benedictarum incensentur.

Benedictio Incensi.

ORATIO.

TVa quæsumus Omnipotens sempiterne Deus immensæ Maiestatis dextera, hanc creaturam incensi benedicere, ✠ & sanctifica-re ✠ digneris, vt in virtute Sancti nominis tui, omnes immundorum spirituum phantasticos incursus effugare, omnesq; morbos reddita sanitate, expellere vbicunq; fumus eius afflauerit, mirabiliter possit: atq; tibi Omnipotenti Deo odore fragrantissimo perpetua suauitate redolere. Per Dominum nostrum, &c.

Benedictio Euangeliorum.

OMnipotens & misericors Deus,

te suppliciter deprecamur, vt sanctificare ✠ ac benedicere ✠ digneris hæc Sancta Euangelia scripta in tui Sancti nominis honorem per dilectum tuum Ioannem Euangelistam, &c. vt qui eis vsus fuerit vel supra se portauerit, vel in domibus habuerit, tuam largam benedictionem, salutem animæ & corporis à te recipere mereatur. *Per* Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Benedictio ad quæcunq; volueris.

BEnedic *Domine* ✠ Creaturam istam N. vt sit remedium salutare generi humano, vt per inuocationem tui Sancti nominis, quicunq; ea vsi fuerint, vel sumpserint, vel gustauerint, corporis sanitatem, & animæ tutelam accipiant. Per Dominum nostrum, &c.

OFFICIVM AD FACIENDAM AQVAM BENEDICTAM.

Exorcismus Salis.

℣. *Adiutorium nostrum in nomine Domini*
℟. *Qui fecit cælum & terram.*

EXorcizo te Creatura Salis per Deum ✠ viuum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ Sanctum, per Deum, qui te per Elizæum Prophetam in aquam mitti iussit, vt sanaretur sterilitas aquæ: vt efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium: & sis omnibus te sumentibus sanitas animæ & corporis: & effugiat atq; discedat ab eo loco in quo aspertum fueris, omnis phantasia, & nequitia diabolicæ fraudis: omnisq;

ſpiritus immundus adiuratus. Per eum qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem, Amen.

OREMVS.

IMmenſam clementiam tuam Omnipotens æterne Deus humiliter imploramus, vt hanc Creaturam Salis, quem in vſum humani generis tribuiſti, benedicere ✠ & ſanctificare ✠ tua pietate digneris: vt ſit omnibus ſumentibus ſanitas mentis & corporis: vt quicquid ex eo tactum, vel reſperſum fuerit, careat omni immunditia, omniq; impugnatione ſpiritualis nequitiæ. Per Dominum noſtrum, &c.

Exorciſmus aquæ.

EXorcizo te Creatura aquæ, in nomine Dei ✠ Patris Omnipotentis, in nomine ✠ Ieſu Chriſti

Filii eius, Domini nostri, & in virtute Spiritus ✠ Sancti: vt fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici: & ipsum inimicum eradicare & explantare valeas, cum Angelis suis apostaticis, per virtutem eiusdem Domini nostri Iesu Christi: qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem, Amen.

OREMVS.

DEus, qui ad salutem humani generis, maxima quæque Sacramenta, in aquarum substantia condidisti: adesto propitius inuocationibus nostris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato virtutem tuæ benedictionis ✠ infunde: vt Creatura tua mysteriis tuis seruiens, ad abiiciendos dæmones, morbosque pellendos, diuinæ gratiæ sumat effectum: vt quidquid

in domibus, vel in locis fidelium hæc vnda resperserit, careat omni immunditia, liberetur à noxa; non illic resideat Spiritus pestilens, non aura corrumpens: discedant omnes insidiæ latentis inimici: & si quid est, quod aut incolumitati habitantium inuidet, aut quieti, aspersione huius aquæ effugiat: vt salubritas per inuocationem Sancti nominis tui expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum nostrum: &c.

Hic ponatur Sal in aqua in modum Crucis, dicendo hanc Orationem.

COmmixtio Salis & Aquæ pariter fiat, in nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus S, ✠ Amen.

℣. *Dominus vobiscum &c.*

OREMVS.

DEus inuictæ virtutis, auctor & insuperabilis imperii Rex, ac

ſemper magnificus triumphator, qui aduerſæ dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis ſæuitiam ſuperas: qui hoſtiles nequitias potenter expugnas: te Domine trementes, & ſupplices deprecamur, ac petimus, vt hanc Creaturam Salis & Aquæ, dignanter aſpicias, benignus illuſtres, pietatis tuæ rore ſanctifices ✠: vt vbicunq; fuerit aſperſa, per inuocationem Sancti tui nominis, omnis infeſtatio immundi ſpiritus abiiciatur: terrorq; venenoſi ſerpentis procul pellatur: & præſentia S. Spiritus nobis miſericordiam tuam poſcentibus vbiq; adeſſe dignetur. Per Dominum noſtrum, &c. eiuſdem Spiritus S. &c. Amen.



ORATIO DEVOTISSIMA, De Passione Domini.

QVæ consueuit fieri qualibet Feria Sexta Lublini, ante Lignum Sanctissimæ Crucis, apud Fratres Prædicatores Ordinis S. Dominici, in Ecclesia S. Stanislai, vbi est notabilis portio Ligni Dominici, quæ nec Romæ, nec Ierusalem, nec Parisiis, &c. nec in aliquo loco habere dignoscitur: per quam clementia diuina plurima ostendit miracula, & prodigia in sanatione languidorum. Cuius Ligni Sanctissimi Historia est inscripta in Libris Beneficiorum Monasteriorum in Diœcesi Cracouiensi existentium, Anno Domini, Millesimo Quadringentesimo Septuagesimo conscripta, in Archiuio Venerabilis Capituli Ecclesiæ

Cathedralis Cracouiensis existens. LVBLINI autem collocatum hoc Lignum Sanctissimum miraculose apud F.F. Prædicatores Ordinis Sancti Dominici; Anno Domini 1420. Ante eandem igitur Sanctissimam Crucem solet fieri cum magna populi deuotione, adoratio. In aliis autem Conuentibus ante imaginem Domini nostri Iesu Christi Crucifixi; duo ex Fratribus mediocri & humili voce cantant secundo Tono. Interim Fratres eleuantes mentes suas in Deum, & dictos versus deuotè meditantes; diuinam misericordiam pro instantibus necessitatibus inuocant.

Versus de Passione Domini nostri IESV CHRISTI.

AMici mei & proximi mei; aduersum me appropinquauerunt & steterunt.

Traditus ſum & non egrediebar: oculi mei languerunt præ inopia.

Et factus eſt ſudor meus: ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.

Circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obſedit me.

Et fui flagellatus tota die: & impoſuerunt ſuper caput meum coronam ſpineam.

Foderunt manus meas & pedes meos: dinumerauerunt omnia oſſa mea.

Et dederunt in eſcam meam fel: & in ſiti mea potauerunt me aceto.

Omnes videntes me deriſerunt me: locuti ſunt labiis & mouerunt caput.

Ipſi verò conſiderauerunt & inſpexerunt me: diuiſerunt ſibi veſtimenta mea & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.

In manus tuas commendo Spiritum meum; redemisti me Domine Deus veritatis.

Hic Chorus replicabit.

In manus tuas commendo, &c.

MEmento famulorum tuorum Domine; dum veneris in regnum tuum.

Memento ancillarum tuarum Domine: dum veneris in regnum tuum.

Te ergo quæsumus Domine Iesu, famulis tuis subueni, quos pretioso sanguine redemisti.

Iesus autem emissa voce magna; tradidit Spiritum.

Hic versus cantatur cum

altiori voce, & verba illa; Tradidit Spiritum, *cantantur sicut in Euange-*

lio

tio de Passione Domini in die Palmarum cantari solent. Quibus cantatis prosternent se Fratres Mysteria Passionis Christi meditantes, quousque signo facto à Superiore eleuabunt se.

Postea cantant duo Fratres in Sexto Tono infra scriptos versiculos.

MIsericordias Domini, in æternum cantabo.

VEre languores nostros ipse tulit; & dolores nostros ipse portauit.

Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras; atteritus est propter scelera nostra.

Omnes nos quasi oues errauimus: vnusquisque in viam suam declinauit.

Et posuit in eo Dominus; iniquitates omnium nostrum.

Exurge quare obdormis Domine: exurge & ne repellas in finem.

Hic Chorus replicat ℣.

Exurge quare obdormis, &c.

ECce Deus Saluator meus: fiducialiter agam & non timebo.

Confiteantur Domino misericordiæ eius: & mirabilia eius filiis hominum.

Superior dicet.

℣. *Miserere nostri Iesu benigne.*

℞. *Qui passus es clementer pro nobis.*

ORATIO.

REspice quæsumus Domine super hanc familiam tuam: pro qua Dominus noster Iesus Christus non dubitauit manibus tradi nocentium, & Crucis subire tormentum.

ANTIPHONA.

Seu Cantio à quodam deuotissimo Viro composita.

TIbi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio; ó amantissime, benignissime, dulcissime Domine IESV CHRISTE, pro omnibus Sanctissimis guttis tuis, quas fudisti pro nobis miserrimis peccatoribus, in Circumcisione, sanguineo sudore, Flagellatione, spinarum coronatione, & sanctissimis manibus ac pedibus tuis, de amantissimo ac Deifico tuo corde, esto propitius quos redemisti tuo pretiosissimo sanguine.



ORA-

ORATIONES DEVOTISSIMÆ.

Quas solent recitare Confratres Sanctissimi Rosarij qualibet Feria Sexta,

vel alio die Quadragesimali tempore quando solent facere Disciplinas ante imaginem Crucifixi Domini nostri IESV CHRISTI, Lublini verò ante expositionem Ligni Sanctissimæ Crucis, in Ecclesia S. Stanislai Ord. Præd.

Primo præsidens dicat, & Confratres Rosarij procidunt in terram.

ACtiones nostras quæsumus Domine IESV, aspirando præueni, & adiuuando prosequere, vt

cuncta

cuncta nostra Oratio, & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.

ADoramus te dulcissime Domine IESV CHRISTE, & benedicimus tibi: Quia per Crucem tuam redemisti mundum.

Qui Passus es clementer pro nobis, Miserere nobis.

Postea eleuent se Confratres & Præsidens dicat hanc Orationem deuotè cum pausa:

IESV dulcissime, Iesu piissime, Iesu Saluator noster, Cruci nobis affixe, per mortem amarissimam, quam in hoc duro stipite subiisti, te humiliter & suppliciter rogamus: Perfunde cor nostrum, tuo feruido sanguine. Ploremus coram te, qui fecisti & sic refecisti nos tuo pretio-

sissimo.

fissimo sanguine. Tibi compati, & tecum pati iugiter desideramus; tua vulnera pectore toto reuoluere cupimus. Eia vnica spes nostra, ne proiicias nos.

Te quoq; mœstissima Mater Virgo MARIA, per tuum IESVM passum, & per gladium doloris, qui tuam pertransiuit animam, obsecramus, impetra nobis dolorem Compassionis, & lachrymas compunctionis. Fac ô Virgo amara, dies noctesque præ oculis habeamus memoriam Passionis Domini nostri IESV CHRISTI Filii tui; quatenus doloris tui participes, etiam cœlestis consolationis possimus esse consortes. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

Postea

Postea Præsidens faciat admonitionem deuotam & breuem, de Passione Domini nostri IESV CHRISTI.

Admonitione finita prostrati Confratres dicant alta voce.

℣ Sancte Deus, Sancte Fortis, Sancte & immortalis, Miserere nobis.

Tandem facient disciplinas per spatium quinque Pater noster, & totidem Aue Maria &c. ad quodlibet Mysterium, SS. Rosarij Partis Dolorosæ.

MYSTERIVM PRIMVM.

IESV suauissime, qui in agonia positus, amarissimum calicem Passionis pro nobis bibiturus, pauore

mortali correptus, sanguineum sudorem sudasti. Miserere nobis.

Quinque Pater noster, & Aue Maria.

℣. IESV dulcissime, qui passus es clementer pro nobis. Miserere nobis.

Finita disciplina, prosternent se & dato signo prosequatur Præsidens.

MYSTERIVM SECVNDVM.

IESV miserande, qui ad columnam ligatus, in toto corpore, duros laniatus ex flagris attrocissimis constanter pro nobis sustinuisti, & liuor, vulnus & cruor esse atque apparere voluisti. Miserere nobis.

Quinque Pater noster, & Aue Maria, &c.

℣. IESV miserande, qui passus

es clementer pro nobis. Miſerere nobis.

MYSTERIVM TERTIVM.

IESV patientiſſime, qui diademate ſpineo coronatus, cachinnos, blaſphemias, ſputa, alapas, percuſſuras, opprobria à væſanis militibus pro nobis perferre, vixq; hominis habitum gerens, ſpectaculum eſſe voluiſti. Miſerere nobis.

Quinque Pater noſter, & Aue Maria.

℣. Ieſu patientiſſime, qui paſſus es clementer pro nobis. Miſerere nobis.

MYSTERIVM QVARTVM.

A Præſidente dicitur.

IESV innocentiſſime qui ab iniquo iudice condemnatus, crucis trabem ingentem ſuper tuos humeros deferre, ac ſub ea corruere, nec non

furentis plebis fabula & probrum esse dignatus es. Miserere nobis.

Quinque Pater noster, & Aue Maria.

℣. Iesu innocentissime, qui passus es clementer pro nobis. Miserere nobis.

MYSTERIVM QVINTVM.

IESV benignissime, qui vt latronum scelestissimus, inter profligatos latrones, morte atrocissima, & turpissima à vita demigrare, & visceribus ferro perruptis, vniuersoq; tuo pretiosissimo sanguine suffuso, sic Iesu noster nos redimere, viuificare, & ad veram vitam reducere voluisti. Miserere nobis.

Quinque Pater noster, & Aue Maria.

℣. Iesu benignissime, qui passus es clementer pro nobis. Miserere nobis.

Præsi-

Præsidentes intonabunt.

SAncte Deus, Sancte Fortis, Sancte & immortalis Miserere nobis.

Confratres SS. Rosarij replicabunt, ℣. Sancte &c.

A Peste, Fame, & Bello. Libera nos Domine.

Ab infestationibus omnium inimicorum visibilium & inuisibilium. Libera nos Domine.

IESV, Exaudi;
IESV, Parce,
IESV, Miserere nobis.

Post prosternent se in terram & Præsidentes intonabunt.

O Crux aue, spes vnica, hoc Passionis tempore, auge piis iustitiam, reisq; dona veniam,

Te summa Deus Trinitas, collaudet omnis spiritus: quos per Crucis Mysterium saluas, rege per sæcula, Amen.

Tandem dato signo, eleuent se, & Præsidens dicat ante imaginem Crucifixi Domini nostri IESV CHRISTI.

SAlue tremendum cunctis potéstatibus Caput Domini nostri IESV CHRISTI Saluatoris nostri, pro nobis spinis coronatum, & arundine percussum.

Salue speciosissima Saluatoris nostri Iesu Christi facies, pro nobis sputis & alapis cæsa.

Saluete benignissimi Domini nostri Iesu Christi Saluatoris nostri oculi, pro nobis lachrymis perfusi.

Salue mellifluum os, gutturq; suauissimum

uissimum, Domini nostri Iesu Christi, pro nobis felle & aceto potatum

Saluete aures nobilissime Domini nostri Iesu Christi Saluatoris nostri, pro nobis contumeliis, & opprobriis affectæ.

Salue collum humile Iesu Christi, pro nobis collaphizatum, dorsumq; Sanctissimum flagellatum.

Saluete Venerabiles Domini nostri Iesu Christi manus & pedes, pro nobis in Cruce clauis confixi.

Salue latus gloriosum Domini nostri Iesu Christi, pro nobis lancea militis perforatum.

Salue totum Corpus Iesu Christi Saluatoris nostri, pro nobis in cruce suspensum, vulneratum, mortuum, & sepultum.

Salue Sanguis pretiose, de corpore Domini nostri Iesu Christi Saluatoris nostri, pro nobis effuse.

Salue Sanctissima Domini nostri Iesu Christi anima, in cruce pro nobis in manus Patris commendata.

℣. *Protector noster aspice Deus.*

℟. *Et respice in faciem Christi tui.*

℣. *Miserere nostri Iesu benigne.*

℟. *Qui passus es clementer pro nobis.*

℣. *In omni tribulatione & angustia.*

℟. *Subueniat nobis pia Virgo Maria.*

Dominus vobiscum, vel:

Domine exaudi orationem, &c.

OREMVS.

OMnipotens & misericors Deus, qui sitienti populo, fontem viuentis aquæ de petra produxisti, educ de cordis nostri duritia compunctionis lachrymas, vt peccata nostra deplorare valeamus, remissionemq; eorum, te miserante accipere mereamur.

ORATIO.

INterueniat pro nobis quæsumus

Domine Iesu Christe, nunc & in hora mortis nostræ, apud tuam clementiam Beata Virgo Maria Mater tua, Cuius sacratissimam animam, in hora tuæ passionis doloris gladius pertransiuit. Per te Iesu Christe Saluator qui viuis & regnas per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Postea Cantetur aliqua Cantio deuota: Et notandum quod illos versus, Iesu patien[illegible]ssime. Iesu innocentissime, I[illegible]dulc[illegible]ssime, &c. *debent dicere & in[illegible] Confratres Sanctissimi R[illegible] post disciplinam ad quodl[illegible] My[illegible]e[illegible]*

ORATIO

Post quam[illegible] deuotionem.

SAcrosancta [illegible] Trini-

tati,

tati, Crucifixi Domini nostri IESV CHRISTI humanitati, Beatissimæ Virginis Mariæ fæcunditati, atq; integritati, & omnium Sanctorum vniuersitati, sit sempiterna laus, honor, virtus, & gloria, ab omni creatura; nobisque remissio omnium peccatorum, per infinita sæcula sæculorum, Amen.

Et beata viscera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris Filium.

Et beata vbera, quæ lactauerunt Christum Dominum.

ITEM.

GAudium cum pace, emendationem vitæ, spatium veræ pœnitentiæ, gratiam & illuminationem Sancti Spiritus, constantiam in votis, perseuerantiam in fide & bo-

nis operibus, tribuat nobis Omnipotens & misericors Dominus, **AMEN,**

Dicatur Pater noster, & Aue Maria.

Pro Statu Summi Pontificis & Ecclesiæ.

FINIS

FINIS.

Deo ſit, Deiparæq; laus & gloria; gratia viuis; defunctis requies; mihi peccatori miſericordia; vt refrigerer priuſquam abeam, & ampliùs non ero. Ero autem vt ſpero, & oro, cum Deo, Diua, Diuiſque cœleſtibus,

AMEN.

℣ *Diuinum auxilium.*

℟ *M[illegible]ſcum.*

℣. *N[illegible]*

℟ *Be[illegible]*

A[illegible]

INDEX
Omnium quæ in hoc Libello continentur.

[illegible]dul-

Cora.

INDEX.

In




Biblioteka Jagiellońska
stdr0022154

